LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

DE

CRITICAE SACRAE ARGUMENTO E LINGUAE LEGIBUS REPETITO.

COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA

QUAM

SUMME VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

AD VENIAM LEGENDI RITE IMPETRANDAM

ILLUSTRISSIMI ICTORUM ORDINIS CONCESSU

DIE VIII. M. MAII A. MDCCCLXXIX HORA X

IN AUDITORIO IURIDICO

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS EDUARDUS KÖNIG,
THEOL. LIC. PHIL. DR. SCHOLAE THOMANAE MAGISTER.

LIPSIAE.
PROSTAT APUD HINRICHS.
MDCCCLXXIX.

Exordium.

I. Inter omnes res, quibus, quominus Vis. Ti. theologia perfecte excoleretur, praeteritis his fere centum annis impeditum est, vix una maioris erat momenti, quam sententias de Penti.[1]) unitate et authentia in diversas partes discessisse. Nam non modo introductiones maxime varias formas induebant et commentarii magna ex parte in iudiciis de auctoribus singularum partium et proferendis et reiiciendis versabantur, sed geographiae, archaeologiae, historiae fundamentum ipsum destruebatur. Quis igitur est, quin cum Köhlero[2]) animo intimo cupiat, iis controversiis supersedere et historiam populi Israelitici ea ipsa forma tradere posse, qua a Vis. Canonis compositoribus accepta est? Sed quominus pugnae iam finem imponamus, hoc ipso tempore causa retinemur duplici:

1. An nonne adhuc sunt, qui negent, Pentum. ullo iure dilacerari et maximam saltem partem aliis scriptoribus ac Mosi attribui? Nonne etiamnum alteri clamant traditionem et auctoritatem ecclesiae, omni fide et pietate deposita, immerito reprobari, alteri, easdem nimia pervicacia defendi? Itaque eo ipso consilio, ut bellum a theologis in theologos gestum ad finem tandem perducatur, quaestiones semel ortae rursus exa-

---

1) Pentus., i., o., um. = Pentateuchus, i, o, um; Gis., eos., i., in. = Genesis, eos, i, in; Ela., ae., am. = Elohista, ae, am; Jha., ae., am. = Jehovista, ae, am; argum., i., o., = argumentum, i, o; phil. = philologicus, etc. — 2) Lehrb. der bibl. Gesch., praef.; cf. Grätz, Gesch. der Isr. I, 1874, p. 25.

minandae sunt; cum Kurtzio [1]) assentiendum sit, qui existimet, hominem, quamvis vehementer fide et pietate imbutus sit, doctrinam a patribus haereditate acceptam etiam „humano iure“ suam facere studere rectissime.

2. Nullo autem tempore quam nostro magis necesse erat, omnes ad hanc ipsam rem diiudicandam aggrederentur, quia ipsi viri critici nuper novo impetu rem suam agunt, cum et sententiam antea plurimis comprobatam magis magisque diluant et argum. fere ab initio adhibitum vi sua privent et sententiam prorsus novam de singularum Penti. partium aetate proferant.

a) Dico sententiam, Elae. librum ab Jha. ipso suppletum esse. Sed iuvat, hac occasione oblata et initia et vicissitudines huius disceptationis paulo accuratius quam fieri solet narrare: Duabus viis arx veteris de Pento. circumlatae traditionis oppugnari coepta est. Postquam nonnulli [2]) ex altera causa suspicati sunt, Pentum. Mosis solius opus dici non posse, quia v. c. nuntius de morte eius adiectus sit, et alii [3]) (altera causa) addiderunt, primum librum ex antiquioribus fontibus haustum esse: R. Simon [4]) ex utraque causa negavit, Mosem nostri Penti. auctorem esse unicum, Clericus, van Dale [5]), alii calculum adiecerunt. Sed Astruc primus (cf. autem Hartmann), tum Eichhorn et Ilgen singulos libros discernere conati sunt, assentiente Semlero et Fritzschio [6]). Fere eadem sententia probata erat Augustio et Bertholdtio [7]), quamvis iam, aliis viris doctis praegressis, Vater, adstipulantibus

---

1) Beiträge zur Vertheidigg. u. Begründg. der Einh. d. Pent. 1844, p. 11. — 2) Masius, Com. ad Jos. 1574, p. 2; Bonfrerius, Com. ad. Pent. 1625, p. 23. 93; Hobbes, Leviathan, 1670, p. 177. — 3) Spinoza, Tract. theol.-pol. 1677 (Hamb. 1770) p. 115 iam eo progressus est, ut iudicaret Pentum. ab Esdra „ex diversis scriptoribus collectum esse“. — 4) Hist. crit. 1678, (Rotterd. 1685), p. 31. 47. — 5) Cler., Com. in Pentum. 1693; ed. II., 1710, p. XXX, col. a; van Dale, Diss. de orig. et progr. idololatriae 1696, p. 71. 686. — 6) Hartm., Hist.-krit. Forsch. 1831, p. 88; Semler, Apparatus ad liberal. Vis. Ti. interpret. 1773, p. 69. 74. 79; Fritzsche. Prüfg. d. Gründe, mit w. neuerlich d. Aechth. d. BB. Mos. bestritt. w. i. 1814 p. 15. — 7) Aug., Einl. 1806, p. 134; Berth., Einl. ps. III, 1813, p. 835.

de Wettio, Hartmanno, Schumanno [1]), ex plurimis fragmentis, non inter se ab initio cohaerentibus, Pentum. confluxisse statuisset. Cum autem Jahn [2]) fere ad sententiam anteastrucianam et Gramberg [3]) maxime ad Eichhornianam reverteretur: a variis parentibus procreata est sententia, duo sola scripta esse distinguenda, et primarium et supplens. Nam de Wette [4]), quamquam contra Eichh. et Ilg. secutus est Vaterum, primus diserte exposuit, per Gin. et prima Ex. capita deprehendi vestigia (partes) documenti originalis etc.; Kelle [5]) ostendit, Pentum. comparandum esse non domui ab auctore ex duplicibus materiis exstructae sed domui a priore conditae et a posteriore deformatae; Ewald [6]) denuo demonstravit, Geos. partes arctissime inter se coniunctas esse. Sed neque ii tres nec Stähelin [7]), sed v. Bohlen [8]) disertis verbis differentiam illius sententiae specificam negative in eo posuit, quod partes iehovisticae per se non exstiterint s. librum confecerint, nec redactorem fuisse statuit. Cum deinde Knobel, Baur, Schrader, Delitzsch [9]) usque eo tantummodo

---

1) Vat., Com., ü. d. Pent., Bd. III, 1805, p. 395 Anm.; 423 Anm.; de W., Beiträge z. Einl. i. d. A. T. I. 1806, p. 265; Hartm., Aufklärgn. ü. Asien 1806, p. 237; cf. Linguist. Einl. i. das Stud. d. BB. d. A. T. 1818, p. 318; 1831, p. 221; Schumann, Gen. Hebraice et Graece, 1829, p. LXVI. — 2) Einl. ed. II. german. 1803, II, 1, p. 100; Introductio, ed. sec. 1814, p. 201. 203. — 3) Libri Geos. secund. font. rite dignoscendos adumbratio nova 1828, p. 4 ss. — 4) Beiträge, II, 1807, p. 28–30; et inde a I. edit. introd., ut Tuch, Gen. p. LI recte agnovit; quamquam ille ipse eam gloriam sibi non arrogavit, cf. V. editionem. — 5) Vorurtheilsfr. Würdigg. der mosaisch. Schrr., III. Heft 1812, p. IX. XXXVIII; id catholici rectissime commemoraverunt, cf. Herbst, Einl. 1841, p. 69 et Welte, Nachmosaisches, 1841, p. 154 „Kelle, Vater der Ergänzungshypothese". — 6) Die Composition d. Gn. krit. untersucht 1823. — 7) Kritische Untersuchungen ü. d. Gn. 1830, p. 92 „Verfasser der gegenw. Form unserer Schrift", neben Elohist u. Jeh. — 8) Die Gen. hist.-krit. erläutert 1835, p. CXC „Da die Erzählgn. mit Jeh. sich nicht in e. gewisse Einh. find. woll." Tuch, Gen. 1838, p. LXV; Stäh., krit. Untersuchgn. ü. d. Pent. etc. 1843, p. 84 „Jehovist Ergänzer"; Lengerke, Kenaʿan 1844, p. LXXXIII; Bleek, Einl. 4. Aufl. p. 141 s.; Graf, Die geschichtl. BB. d. A. T. 1866, p. 3. — 9) Kn., Gen. 2. Aufl. 1860, p. XVII; Kritik des Pent. u. Jos. 1861, p. 497; Baur, Gesch. d. alttest. Weissagg. 1861, p. 191; Schrader, 8. Aufl. von de Wette's Einl. 1869, p. 312; Delitzsch, Gn. 4. Aufl. 1872, p. 39.

progrederentur, ut ab Jha. historias, quibus opus prius compleret, maximam partem ex duobus antiquioribus libris haustas esse affirmarent: praegresso Ewaldio Hupfeld, Böhmer, Schrader, Graf, Nöldeke, Merx, Riehm, Kayser, Diestel, Lange, Wellhausen [1]) etiam Jhae. librum olim per se exstitisse et cum Elae. a redactore coniunctum esse contendunt.

b) Argum. ex diverso scribendi modo petitum, postquam iam antea ratione maxime varia tractatum est, nuper a viris doctis postremo loco enumeratis tum parum excultum, tum spoliatum est fulcris, quae prius firmissima ducebantur. Etenim iam Hupf. obiter stili diversitates tetigit. Nec minus Böhmer, Nöld., Kays.[2]), Bleek-Wellh., quasi id argum. iam omnibus numeris absolutum esset, fere omnino omiserunt. — Kays. nonnulla eius argi. membra, quibus hucusque summa vis adscribi solebat, debilitare studebat, quippe qui ipsum illud אלה תלדות (cf. ad 25, 19; 36, 31; 37, 2 et not. p. 23) ab eodem semper auctore usurpatum esse, infitiaretur. Ea Kayseri sententia Diestelio non probata est cf. l. l.

c) Kays. ipse sub libri sui finem[3]) professus est, se, Jhae. historia priori saeculo quam Elae. adscripta, sententiam ad hos usque dies de utriusque aetate maxime comprobatam radicitus evulsisse et in vertice (ut illius imaginem retineam) collocasse[4]).

II. Cum ut de literis in genere sic de sacris is optime mereri videatur, qui provinciam suo tempore acerrime oppugnatam defendit: ego quoque de quaestione pentateuchica dis-

---

1) Hpfd., Die Quellen d. Gen. 1853, ex. gr. p. 103. 125. 132; Böhmer, Liber Genesis 1860 et Das 1. Buch der Thorah 1862; Schrad., Studd. z. Krit. u. Erkl. d. bibl. Urgesch. 1863, p. 117. 148; Graf, Merx Archiv, I. Bd. 1868, p. 466—77; Nöld., Untersuchgn. zur Krit. d. A. T. 1869, p. 2 Anm.; Merx, Nachwort zu Tuch's Gn. 2. Aufl. 1871; Riehm, Stud. u. Kr. 1868. 72; Kayser, Das vorexil. B. d. Urgesch. Is. 1874, p. 4. 9. 10. 117; Diestel, Schür. Th. Ltrzg. 1876, Nr. 9; J. P. Lange, Gn. 1877, p. 21; Wellh. Jahrbb. f. d. Theol. 1876, p. 393; 4. Aufl. v. Bleek's Einl. 1878, p. 172. 178. — 2) Sed in examinandis quaestionibus, quae non Gin. spectant, semper proprietates linguae observavit. — 3) p. 197. — 4) Cf. Curtiss, De Aaronitico sacerdotio 1878, p. 3.

putationem inii, sperans fore, ut, fundamento explorato et, si fieri potuerit, emendato, arx theologiae ipsa communiatur.

III. Ac primum quidem, ad Penti. unitatem et authentiam perscrutandam nos accingentes, quaeramus necesse est, quibus argis. aetate superiori in dubium vocatae sint. Libri de ea pugna perscripti respondent, semper aut ex rebus aut ex linguae varietatibus arga. desumpta esse [1])

IV. Quamvis autem necesse esset, viros doctos utraque via difficultates removere, hanc ipsam ob causam haud parvum in periculum disputatio irruit. Etenim vim disquisitionis et demonstrationis semper eo augere studebant, quod utrumque argum. copulabant, neque, coniunctis his causis confisi, quid alterautra per se revera efficeret, indagabant. Id periculum ne viri quidem in hac literarum parte facile principes, Stäh., Knob., Kurtz [2]), effugerunt.

V. Antequam, ut equidem id periculum evitem, alterum argumentorum genus solum persequar, alius duplex fons detegendus esse videtur, unde hucusque tota disputatio plurimum detrimenti cepit. 1. Quicunque Penti. unitatis et authentiae propugnatores evaserunt, fere omnes toti versati sunt in adversariorum causis refutandis. Ex. gr. Hengstenberg [3]) formas ex Ex. 15 ab Hartmanno seriori aetati adscriptas perstrinxit. Sed etiam hac in re Kurtz [4]) aliis praecellit, cum, viros doctos recte in originem Penti. inquirere concedens, et ipse, num testimoniis satis certis Mosi abiudicari possit, animo perpendat et varie probare conetur. Etiam Hoelemannus [5]) illud vitium probe vitavit. 2. Sed si illa via et ratio multum obstabat, quominus pugnae finis imponeretur: metuendum est, ne fine prorsus excidat, si alterius partis asseclae libros partis alterius omnino non respiciunt. Quare falso inter oppugnatores Penti. unitatis inde ab Eichh. pluri-

---

1) Clericus l. l. p. XXXI, col. b: „Duo genera argumentorum recentioris Mose aetatis volunt esse in Pento. Alia ex stylo totius libri, alia ex singulis locis petita sunt.“ — 2) Stäh. 1831, p. 22; ad 7, 1—10; 11, 10—26; Kn. 1861, p. 496, 4. lin. ab infra; Kurtz, p. 2; cf. iam Jahn, 1803, p. 97; Vater, p. 415 s. — 3) Tholucks Literarischer Anzeiger 1833, col. 356. — p. 99—104. Sed ne Hävern. (Einl. 1836) quidem hic obliviscendus est. — 5) Die Einheit der b. Schöpfungsberichte 1862.

mi titulos librorum defensorum vel simpliciter congerunt[1]) vel[2]) eorum arga. in universum examinant et reprobant, ea indigna aestimantes, quae singula perlustrentur et diiudicentur. Hoc modo magis magisque evenit, quod aliquando futurum esse Hgstb.[3]) praevidit; et sunt, qui vix sibi dedecori vertant, se aliorum libros non legisse[4]). Nec vero desunt, quin ita contra leges literarum peccaverint, ex c. Tuch[5]), Schrader[6]). — Ergo postulatur, ne conscientia literaria aut tantummodo tam acris quam adversariorum, aut tam hebes sit, quae non laudem reprehensionemque alterius partis sentiat.

VI. Cum animo deliberarem, utrum argorum. genus (cf. III.) tractandum eligerem, formale s. linguale praetuli, quippe quod, licet non primas dubitationes de Penti. unitate et authentia perfecta excitaverit, eas summa vi corroboraverit. — Et tripartita haec disputatio sit, opus esse videtur, occupata illa primum illius argi. historia persequenda, deinde natura consideranda, denique vi exponderanda.

A. Historia

argumenti e sermone scriptorum repetiti.

I. Non, ut in argis. rem spectantibus ad Aben Esrae, ad antecessoris exemplum provocans Spinoza 1677[7]) exposuit, discrepare verba, ordinem negligi, nonnulla repeti. Fere eodem tempore R. Simon[8]) ex multorum nominum propriorum scriptione diversa, repetitionibus, ordine turbato, vario stili genere arga. petiit, ut, quam formam Pentus. nunc referret, eadem non a Mose ipso indutum esse affirmaret. Fere in iisdem causis criticos priores offendisse, Clericus 1693[9]) et Semler 1773[10]) retulerunt.

II. Sed iam 20 annis ante Astrucio auctore id ar-

---

1) De Wette, introd. § 185 c. — 2) Knob. Kritik, p. 496. — 3) Auth. d. Pent. praef. p. LXXVI. — 4) cf. Hpfd. praef.; Nöld. praef.; Wellh. Geschichte Israels p. 66 not. — 5) p. XLVII. XLIX. LXVII. — 6) 1863. — 7) p. 114. 17. 21. 22. 24. — 8) Chap. II. p. 22. 24; Chap. III. IV.; Chap. V. p. 33. 35. 37. 38. 39. — 9) p. XXXI. col. b. — 10) p. 74.

gum. novam indolem induerat, cum, causis illis, quae antea ex universa Penti. forma contemplanda haustae erant, nullo modo contemptis, omnium primus Gin. et prima Ex. capita secundum singula vocabula (א' et יי) dissecaret. Eichhorn 1780 primus diserte capiti cuidam introductionis suae inscripsit „Beweis aus der Sprache“ [1]). Fere quidem satis habuit explicuisse, quam varie in duabus diluvii narrationibus eaedem notiones descriptae essent, neque quidquam extra illas narrationes observavit, nisi פרץ et פרץ in libro Jhae. usurpatum esse: attamen, id quod Astruc omiserat, rursus ad diversam sententias induendi rationem in genere attendit. Ilgen 1798, qui, quod equidem sciam, primus Elohistae et Jehovistae nomina effinxit, non tantum partem Geos. multo ampliorem perscrutatus est, sed etiam nonnullas certas significationes ab altero scriptore solo semper adhiberi invenit et, aliis multo subtilius universam stili indolem examinans, Elam. pronomina evitare, perissologias in deliciis habere, cet. cognovit [2]).

Sed quo audacius illi viri id argum. nullo modo dissolvi posse confirmaverunt, eo fortius alii iis oblocuti sunt. Ante omnia, ut par esse videtur, adiiciam, Corrodium 1783 [3]), cum primam introductionis Eichh. editionem in examen vocaret, statim varia stili genera quidquam ad Penti. unitatem destruendam valere negavisse.

1. Sane non defuerunt, qui illis viris adstipularentur. Nam Jahn [4]) censuit, duorum ultimorum Deuti. capitum stilum abhorrere ab aliorum, ct. et largitus est, scribendi genere singulas Geos. partes inter se discrepare, quamquam vim illorum discriminum valde attenuavit, negans, ea satis perspicua et certa esse, ad quae opus singulorum auctorum reficeretur, neque eam ob causam nova illius discrepantiae testimonia quaesivit. Paullo plus illi argo. tribuit Kelle 1811ss. [5]), quia id aptum esse ad quod Gis. dirimeretur iudicavit nec non,

---

1) 4. edit. p. 51—59; alia inveniuntur p. 53—57. 57 s. 60—63. — 2) Die Urkk. d. Jerus. Tempelarchivs etc. 1798, p. 379. 386 s. 390 ss. — 3) Beitrr. z. Beförderg. d. vernünft. Denk. i. d. Relig. Heft 4. 1783, p. 105. — 4) 1803, II, 1 p. 61. 81. 96 s.; 1814, p. 201. — 5) p. XXXI. XXXII s.

quibus commendaretur, ipse invenire studuit; porro Bertholdt 1813 [1]); denique Fritzsche 1814 [2]), quamvis aliis locis diversi stili notas inveniri aut magni ponderis esse negaret.

2. Ex illis varietatibus quidquam certi ne ad Gin. ipsam quidem dilacerandam effici, affirmaverunt Hasse [3]); Herbst [4]); Jahn 1818 [5]); Sack [6]); Ewald 1823 [7]).

3. Omnino nullam eius argi. rationem duxerunt Meyer [8]) et Kanne [9]).

4. Si quaeris, cur tum temporis id argum. tantopere spretum sit, mox perspicies, Vaterum 1805 id maximam partem effecisse. Nam, qua erat mentis acie, auctores Penti. vario scribendi modo uti, nequaquam dissimulavit; sed quoniam ex aliis indiciis, Pentum. ex pluribus quam priores viri docti statuissent partibus confluxisse, cognovisse sibi videbatur, illi argo. fere nihil tribuit. Quare nova diversi stili in 4 prioribus Penti. libris adhibiti testimonia non attulit [10]). Sed a) in Deut. alius auctoris documenta stilistica occurrere primus (si a Spinoza decalogum utrumque comparante et Jahnio, cf. supra, merito recedis) perseveravit [11]) et b) totius Penti. linguam priori aetati quam aliorum librorum assignandam esse negavit. [12]) Hanc viam ingrediens per nonnulla decennia dux huius scientiae evasit. Propemodum eius vestigia pressit de Wette 1806 s. [13]), quippe qui fontem originarium, qui per Gin. et Exodi initium scaturiret, ex scribendi ratione ei propria pervestigare non auderet. Hartmann 1806 [14]) ad dictionem animum advertit, sed nullum alium in finem nisi ut narrationem de mundo creato Salomonis saeculo adscriberet; alibi pericula Eichhornii et Ilgenii sibi displicere exposuit et, ut

---

1) p. 830. 835. — 2) p. 16. 34 ss. 99. — 3) Entdeckgn. auf d. Felde d. ält. Erd- u. M. gesch. etc. ps. II. 1805, p. 200 s. 229 etc. — 4) Observv. quaed. de Penti. etc. 1817 (in Commentt. theol. edd. Rosenmüll. etc. 1825), p. 11. — 5) Bengel's Archiv, II. Bd. III. Stück, p. 559. 580. — 6) Commentationes etc. 1821, p. 24. — 7) p. 6 ss. 101. 105 nota. 113 ss. — 8) Apol. d. gesch. Auffassg. d. hist. BB. d. A. T. 1811. — 9) Bibl. Untersuchgn. u. Ausleggn. ps. I. 1819, cf. p. 79—116. — 10) p. 400. 411 ss. 415. 423 ss. 503. — 11) p. 497. — 12) p. 616 s.; cf. etiam 716 s. contra Astruc, Eichh., Ilg. — 13) 1807, p. 28—30. — 14) 1806, p. 111. 130. 237; 1818, cf. p. 311. 314. 318 s.; 1831, p. 97. 107 s. 110. 116—22. 190 s. 201.

id illico addam, 12 annis post id argum. ne verbulo quidem tetigit, quamvis libri titulus id postularet. Nec maiori momento id argum. in Penti. origine cognoscenda esse statuit Augusti 1806 [1]). Cum res ita se haberent, vix est, quod miremur, Gesenium nunquam Astrucii, Eichh., Ilg. studia respicere [2]). Quam late illa Vateri sententia tunc animos occupaverit, inde apparet, quod Pustkuchen [3]) capita Geos. priora 11, quasi unum indivisum essent volumen neque unquam ex pluribus fontibus derivata essent, ita coniunxit, ut, in quod saeculum ex hapaxlegomenorum numero inciderent, definiret. Nec tamen de Wette priorem sententiam tam firmiter tuitus est, ut primis introductionis editionibus ipsis [4]) prorsus silentio praeteriret, quam vehemens intra Penti. ipsius muros variorum dicendi generum dissidium esset.

III. Ex eo ipso, quod de Wette argum. pro Gi. dividenda ex linguae varietatibus petitum non prorsus nihili aestimavit, coniicias, utrum Astrucii an Vateri sententia victoriam reportaverit. Neque ea coniectura te fefellit; nam argum. de quo quaeritur eandem sortem passum est quam Eichhornii introd.; quarta enim eius editio 1823 illi argo. novas vires instillavit, quibus reviviscere et adolescere posset.

Nam quamvis Gramberg 1828 largiretur, Eichhornium duas ob causas recte a Vatero reprehensum esse: nihilosecius via ab Eichhornio si non patefacta, munita tamen progressus secundum argum. phil. Geos. partes distinxit nec tantum ad Elae. dicendi genus in universum attendit, sed etiam nonnullas phrases ei proprias primus attulit.[5]) De Wettii assensum tulit 1829.[6]) Neque Schumanni (1829) studia illi argo. excolendo defuerunt.[7]) Etiam Hartmann 1831 in vi illius argi. extenuanda minus tenaciter perstitit. Etenim quamvis huius quoque novissimi operis plus uno loco affirmet, diversa Dei nomina, tautologias et magnam verborum copiam esse „indicia fallacia“: aliis locis ipse locutiones conquirit in alia Geos. parte usitatas in alia desideratas eamque ob causam a sen-

---

1) p. 134. — 2) Gesch. d. hebr. Spr. u. Schr. 1815, p. 21. 31 s. — 3) Hist.-krit. Unters. d. bibl. Urgesch. 1825, § 1. — 4) ed. I. 1817, p. 172; ed. II. 1822, p. 217. — 5) p. 4. 10 s. 14. 19 s. 26. 28. — 6) p. 229. — 7) p. 29. 68. 106. 128. 144. 156. 168—70. 178. 203. 209. 216.

tentia quondam a Vatero et se ipso de Gi. componenda prolata longius recedit. Maxime autem ut antea sic tunc quoque, Vateri eiusque asseclarum exemplo, eius intererat, eas formas et voces posterioris esse saeculi docere, quas defensores Penti. authentiae antiquitatem redolere iudicarent. Quae disquisitio cum animos factionis theologorum conservativae maxime exagitaret, Hartmanni opus hoc tertio historiae huius argi. stadio similiter ac Vateri secundo multis lucerna factum est, cuius luce, quid illius argi. phil. esset et quomodo destrueretur, discerent. Quare per annos tum proxime sequentes theologorum acies duplex distinguenda est. Alii enim ei argo. ad Gin. separandam adhibendo studuerunt; alii, Geos. partium linguae varietatibus plane neglectis, nihil egerunt, nisi ut Deuti. linguam cum priorum librorum conciliarent et totius Penti. linguam aetati mosaicae attribuerent.[1])

1. Prioris aciei, quam diximus, tum is gladium strinxit, qui eius merito antesignanus dicatur. Stähelin 1831, ut Penti. originem indagaret, si non unice sed imprimis variam scribendi rationem respexit. Verum est, intra prima 11 capp. plurimas Elae. notas iam a prioribus allatas fuisse, sed contigit, ut l. l. et ad cap. 1. duas novas notaret.[2]) Jham. autem in nonnullis indiciis conspici primus docuit.[3]) Illo Stähi. opusculo effectum est, ut Ewald 1831[4]), partem defensorum Penti. unitatis deserendam esse, si non intelligeret, at palam profiteretur. Neque autem de Wette 1833, quamquam Stähi. librum citavit, quidquam ad textum 3. ed. adiecit. v. Bohlen 1835, quod ad id argum. attinet, partes secutus est immediate Ewaldii, mediate Stähi.[5]) Tuch 1838 multa Elae. vel. Jhae. nova indicia non nvenit.[6]) Stähelin 1843 tandem viam patefecit, qua id argum. omnibus numeris absolveretur. Supra iam exposuimus, initio varia scribendi genera universe spectata apud quosdam viros doctos de Penti. unitate dubitationes movisse. Deinde Astrucio laudi vertimus, quod singulae voces ei primo satis causae praebuerunt, cur Geos. partes pluribus auctoribus at-

---

1) cf. not. 14 p. 10. — 2) cap. 1 ברא et עשה; cap. 2 יצר; חקים ברית. — 3) cf. ad singula capita et p. 87—89. — 4) Stud. u. Krit. p. 601. — 5) p. CLXXXVII ss. — 6) ad singulas sectiones; cf. Killisch, Versuch e. Würdigg. d. 1. B. M. p. 100.

tribueret. Sed Stäh. tandem etiam ad grammaticales proprietates animum advertit. Proinde accidit, ut eorum, quae afferret, lexico diversorum Penti. fontium locupletando inservirent pauca, grammaticae adumbrandae plurima.[1])

2. Alterius aciei, cuius supra mentio facta est, ducem fuisse Hengstenbergium, nemo ignorat; sed eum etiam revera annorum serie primum in arenam descendisse, minus late percrebruit. Sed is iam 1833, quasi ut specimen magni operis exspectandi ederet, de hoc argo. disseruit.[2]) Cum autem Hartmanni operis ultimi potissimum rationem duceret, rem eo devenisse opinatus est, ut adversarii ipsi de argi. huius vi prope desperarent. Quare varia dicendi genera, quae viri critic- intra Pentum. ipsum reperisse sibi videbantur, nihil curavit; sed totus in eo fuit, ut et nonnullas formas Pento. proprias vere antiquam linguae conditionem referre assereret et indicia iuvenioris conditionis, ab Hartmanno allata, exploderet. Neque — quod mirere — tribus annis post supplevit, quae ibi desiderantur. Quid, quod tantum aberat, ut, dissimilitudines Penti. partium linguales ad eius authentiam labefactandam magno momento esse, ei persuaderetur, ut, nisi praefationis annotatione[3]) de argo. illo verba non faceret. Rankii opusculum, aliis rebus eximium, hoc demum loco ponere eo magis licuit, quo minus in enodanda linguali repugnantia versatus est aut ea componenda rem confici censuit. Nec vero Hävernick[4]), qui illum utrumque excepit, linguali Penti. naturae considerandae supersedere se posse putavit; sed industria haud vulgari ostendere studuit, Pentum. totum Mosi eique unico auctori adscribendum esse. Nam ut, qualis Mosaica aetate Hebraicae linguae facies fuisset, ante oculos poneret, etiam ex grammatico genere multa quae ab usu communi et posteriori recedunt collegit[5]), atque adeo ex syntactica parte quaedam attulit. Sed varietatum linguae intra Pentum. ipsum notatarum nisi vicissitudinem Dei nominum (ea qualis esset et quorsum spectaret, explicare posse sibi visus est) nullam respexit. Ipse deinde criticorum parti se adiungens, vocabulis et phrasibus quibus-

---

1) p. 16—19. 21 s. 29. 34. 43. — 2) col. 345. 348. 356. — 3) Auth. praef. p. LXIV s. nota. — 4) I, 1, p. 183 ss. 186; I, 2, p. 202 ss. — 5) Jahn 1818 nonnulla attulerat.

dam Gi. propriis sententiam illam iam prioribus probatam fulcire se posse existimavit, res illius libri non cunctas ex traditione ore propagata sed partim ex documentis scriptis haustas esse. Porro Drechsler duorum librorum, qui in hac materia versantur, priore [1]), quamvis acerbe in adversariorum sententias, quippe quibus plus fuci quam lucis inesset, inveheretur, huic earum fonti occludendo non vacavit; posteriore [2]) autem ad argi. illius naturam et vim rectius definiendam haud pauca exposuit. Herbst tam firmiter sibi sententiaeque suae constitit studiisque criticorum tam non ad aliam ineundam permotus est, ut 1841 eorum arga. phil. praetermittere se posse opinaretur. [3]) Welte ea non omisit, sed pusilli momenti esse duxit. [4]) Fieri autem non poterat, quin Penti. authentiae defensores tandem perspicerent, quam gravia illa arga. et quantopere digna essent, quae refellerentur. Quare, quod officium viri partis suae docti diu servare obliti erant, ei optime satisfacere suscepit Kurtz 1844. Nam et singulas varietates, quotquot ad prima Geos. capita dirimenda allata erant, subtiliter examinavit et in argi. phil. naturam et vim accurate inquisivit. [5]) Sic effecit, ut conservativae partis theologi ab argis. ling., quae ad priorum 4 Penti. librorum unitatem diruendam collecta erant, posthabendis desisterent et ea quoque de re cum criticis disputationem inirent. Qua controversia evenit, ut eorum, qui argo. phil. contra Penti. unitatem allato vim satis magnam tribuerent idque ipsi corroborarent, numerus cresceret, eorum, qui reluctarentur, diminueretur.

IV. Reliquum est, ut adiiciam, qui inde ab anno 1843.44 utrique parti nomina dederint.

1. De Wette 1844 in introd. primum linguae diversorum scriptorum indicia praecipua exscribi iussit. [6]) v. Lengerke 1844 gloriam illius argi adornandi non appetivit, sed historiam fundamento, quod Stäh. iecerat, superstruxit. [7]) Delitzsch autem 1852 de notis variorum scriptorum et augendis et minuendis optime meritus est. [8]) Neque operam et oleum perdi-

---

1) Die Unwissenschaftlichk. i. Gebiete d. höh. Krit. 1837, cf. 90. 176 ss. — 2) Die Einheit u. Aechth. d. Gn. 1838, p. 9 s. 28 s. 64. 76. 88. 103. 185 s. — 3) p. 70. — 4) p. 155. — 5) p. 73 ss. 79 ss. — 6) p. 194 s. — 7) p. LXXXIII. — 8) Gn. 1. Ausg. p. 26 s. 391 s.

dit; nam effecit, ut Kurtz, insignis ille Penti. unitatis patronus, ad eius sententiam discederet.[1] Eodem anno 1852 Knobel in diversa Penti. partium scribendi ratione dilucidanda operam collocare incepit eximiam. Sed quo magis a via iamdudum strata recessit, eo magis, quae addidit, utrum specie an re plurium sint auctorum, examinanda sunt.[2] Suo autem iure Knob. Ewaldio vertit vitio, quod parum perspicue de Penti. origine egisset; nam suas cuiusque fontis notas certas afferre fere semper omisit.[3] Hupfeldio 1853 cordi erat minus ex scribendi generibus ubique adhibitis quam ex nexu historiarum concludere, qui esset fontium Geos. numerus quaeque iis intercederet ratio. Böhmer, quamvis anxie magistri vestigiis insisteret, satis scite de quibusdam rebus, quae ad Geos. indolem pertinent, disputavit; sed nescio an minus recte de huius argi. natura senserit.[4] Schrader 1863[5] et 69 argum. phil. multifariam exornavit. Nöldeke 1868. 69[6] novi vix quidquam attulit, quod huc pertineret. Kleinert,[7] qui non mediocriter de hoc argo. excolendo meritus est, p. 151. 190. 206, ambigue de eius pondere iudicavit. Nam multis locis sententias suas testimoniis linguae stabilivit, p. 93. 98. 135. 151. 159. 162 ss. 165. 170. 187 ss. 204; sed appendice linguam certa auctoritate destituit, p. 214 ss. Kayser in ea Geos. parte, quae hic potissimum respicitur, nihil novi addidit; sed alibi ad quaestiones absolvendas magis linguae quoque rationem duxit.[8] Dillmann 1875 ipse professus est, se quae Knob. etiam de lingua sedulo collegisset, retinuisse; sed diligenter mutavit, quae novis de Geos. compositione sententiis repugnaverunt. Wellhausen denique ponit quidem, omnes Geos. capitum 1—11 partes (JE), quae non primo Elae. (Q) originem debeant, notionibus, vocibus, stilo ut inter se cognatas sic ab his seiunctas esse, sed non minus, id omnibus iam viris doctis comprobatum esse; neque, si a duobus exemplis discesseris, ostendere conatur, particulas, in quas JE secernit, arctiore linguae

---

1) Gesch. d. A. Bd. II. Band, 2. edit. 1858, p. 556. — 2) cf. ad singulas sectiones et Kritik, p. 515. 17. 75. 78. — 3) Gesch. d. V. Isr. edit. III. pars I. 1864, p. 98 s. 138. 145. 151—153. 166. — 4) p. 22 s. 83. 123—126. 141. — 5) p. 117 ss. — 6) p. 8 s. 14. 133. — 7) Das Deut. u. der Deuteronomiker 1872. — 8) p. 138. 140—42. 145. 157. 161 ss.

necessitate inter se copulatas esse. Ne novissimo quidem opere id argum. systematice contemplatus, nonnulla indicia observavit.[1])

2. Contra tot et tales adversarios his 30 annis fere solus pugnavit Keil.[2]) Et ut iam Knobel[3]) iudicavit, a Penti. unitatis defensoribus viros criticos nonnunquam ad sententias retractandas et corrigendas permotos esse: sic ingenue fateor, a Keilio multa de huius argi. natura et vi recte disputata esse. Neque omni auxilio destitutus fuit; sed eum Hoelemann strenuo adiuvit in hoc argo. dissolvendo, non quo ullae scribendi varietates plane abessent, sed quia ad eundem auctorem redirent.[4]) Sic consociata opera uterque effecit, ut theologorum haud exiguus numerus adhuc criticis assensum deneget.

B. Natura

argumenti e sermone scriptorum repetiti.

Eorum, qui mecum huius argi. annales perlegerunt, quis est, quin, neminem adhuc, ut de eius notione theoretice disseret, sibi proposuisse, miretur maximopere? Fuerunt sane, praesertim iis decenniis, quibus hoc argum. invalescere coepit, qui nonnullo loco, quomodo adhibendum esset quibusque difficultatibus premeretur, ostenderent. Sed, ut quae apud eos leguntur, iam per se non suffecerunt, ita, per tot commentationes sparsa, et criticos facile effugerunt et ad eorum arga. emendanda parum emolumento fuerunt. Itaque post tot et tantos labores in eo argo. empirice adhibendo collocatos opus esse censeo, ut eius natura accurate depingatur.

Ac primum quidem, ut eluceat, et quid natura eius argi. per se sibi velit et quo contineatur, ad alia argumentationis genera, velut physicale chymicumve viri rerum naturae experti vel psychologicum iudicis, animos advertamus! Nonne omnium illorum trium argumentationis generum indoles partim in rebus, quae observantur, partim in ratione, qua observantur, sita

---

1) 1876. p. 405. 400. 402. 394. 396 s. 399; 1878. p. 656; Geschichte Isr. p. 349. 389. 392—94. 397—403. — 2) Einl. i. d. A. T. edit. III. 1872. — 3) Kritik, p. 496. — 4) Einheit der beid. Schöpfungsber. 1862.

est? Nonne igitur natura unicuique illorum trium propria unice in eo ponenda est, quod partim res (actiones, processus) vere aut physicales aut chymicae aut psychologicae examinantur, partim ea methodus adhibetur, quae in quodque illorum processuum genus peculiariter congruit? Itaque, si de lingualis argi. natura sermo est, eam nisi aut in rebus aut in modo eas quaerendi cernere non possumus, et simul intelligimus, necesse esse, illae vere ad linguam pertineant, hic autem ad linguae vitam ipsam accomodatus sit.

I.

Itaque prius quaeritur, quae res in hoc argo. adhibendo respiciendae sint.

1. Quoniam provinciae cogitandi et loquendi arctissimo vinculo inter se coniunctae sunt, diligenter cavendum est, ne termini utriusque, crebro dimoti, a nobis dimoveantur.

a) Procul absit, ut, illud periculum iam ab aliis perspectum esse, negemus! Quid enim Astruc[1]) sibi voluit, cum ex varietate Dei nominum argum. sumeret? Nihil aliud, quam unam eandemque naturam aliis locis aliis significari nominibus. Neque alia sententia aut Eichh. aut Ilg.[2]) discrimina significationum enumeraverunt. Quid quod illud periculum vitandum esse, diserte exposuerunt Ilg.[3]), Hasse, Vat., Hartm., Merx[4]); Ew., Häv., Kurtz, Keil[5]).

b) Illud periculum minime a Knob., vocabula, quibus synonyma non responderent, non secernente, evitatum esse, Merx et Keil l. l. ostenderunt; sed num Keil ipse ubivis locorum id effugit? Occurritne prorsus eadem notio, quae aut הִבָּנוֹת aut עֲקוֹד (introd. p. 43) inest, aliis locis? Num (p. 44) אָסוֹן (damnum, vulneratio) et אֵיד (onus, res adversae) planc

---

1) Conjectures etc. p. 10. — 2) Eichh. III. p. 53 ss.; Ilg. p. 381 ss. — 3) p. 386. — 4) Hasse, p. 200; Vat. p. 415 s. 435; Hartm. 1831 p. 190; Merx, p. CI. — 5) Ew. 1823 p. 102 not. 105 not. 113 ss.; Häv. p. 210 ss., nomina Dei in Gen. ubique ob variam significationem alternare; p. 214, propter שׁיח et יצמח Gn. 2, 5 de plantis adolescentibus, 1, 12 de earum creatione sermonem esse; praesertim Kurtz, p. 76. 79 ss.; Keil, p. 143. 152 s. Nägelsbach igitur nihil novi attulit, si ad Jes. 40, 12 adnotavit: „Der Gebrauch eines Wortes hängt nicht bloss von der Subjectivität des Schriftst., sond. a. v. d. Objectivität d. Inh. ab.“

sibi respondent? Num „pullus avium“ (גּוֹזָל p. 45) alibi designandus erat? Num locutio הלך על גחון, quae locutio ibidem pro simplici גחון afferenda erat, praeter locos laudatos obviam erat? Denique, ubi praeter Num. 5 „intumuit venter“ verbo צבה exprimendum fuit?

c) Num, ut illud periculum fugiatur, argum. ex variis Dei nominibus petitum a philologicis seiungendum est? Non videtur; licet enim variis vocabulis variae animantis cuiusdam significentur notae, substantia tamen eadem est, et quia, accidentibus et significationibus variantibus, res ipsa non mutatur, variationes nominum linguam spectant. Atqui ne Deus quidem notis variantibus solis continetur, sed aliquid per se s. substantia est, cuius gloria manens in attributis deinceps patefactis resplendet. Quare Dei nomina non minus formam concernunt, quam ex. c. Mesopotamiae. — Sed Hagarem et Keturam Gn. 16, 3; 25, 1 אשה, 25, 6 פילגשים significari, rem nec linguam mihi spectare videtur, quia illa vocabula non sunt nomina.

d) Quamquam porro, partesne linguae prorsus inter se synonymae exstent necne, dubitari potest, mihi etiam alia quae lexicon spectant recte a viris doctis formali indiciorum parti annumerata esse videntur. Duo enim eorum genera distingui posse videntur, quorum *α*) prius ea vocabula complectitur, quorum principalis nota, in qua res ipsa posita est, inde a natalibus suis cum aliis communis est. Eiusmodi linguae partes sibi invicem prorsus similes factas esse, ut concedas, compares ראשית et תחלת 13, 3 quod utrumque, etsi alteri altera nota sensibilis inest s. alterum ab altera imagine originem duxit, inde tamen ab initio primam vel partem vel conditionem rei vel eventus designat. Wellh., Gesch. p. 399 de eo vocabulo mihi argutari videtur [1]). *β*) Alterum genus ea vocabula comprehendit, quae, in nota accessoria cum aliis congruentia, nihilosecius loquentium vel scribentium consuetudine promiscue usurpata sunt. Fortasse huc referenda sunt

---

1) Magis etiam huc pertinere videntur nomina ab eadem stirpe derivata, ut חשך et חשכה; קץ et קצה cet.; nec minus verba, ut הבדיל et הפריד 30, 40; נפץ, נפוץ, נפרד, נפלג; עוף et עופף; סכר, סגר, עצר; alia.

verba, quae reddere cum duplici accus. denotant.; tum בצר, quoties significat „absolvere“, quoniam, utrum id secando an alio actu fiat, parvi momenti est; cet. [1])

Quoties igitur, vel consuetudini sibi propriae indulgens vel communem omnium usum imitans vel rhythmum respiciens vel praeeuntis formae similitudine allectus deterritusve vel elocutionis elegantiae copiaeque studens, scriptor illa synonyma usurpat: lingua, non philosophia regitur; loquitur et scribit, non cogitat. — Nec minus patet, eum cogitare, si vocabulorum, quorum alius vis ab alius discrepans usu retinetur. aliud alii praefert. Ex. gr. voci מורא (timor) minor vehementia inesse videtur quam voci חת (terror) 9, 2. Quodsi alter scriptor ad eundem animi motum significandum timoris voce utitur, quem ad significandum alter terroris: vel minore rerum distinguendarum facultate instructus est vel negligentia quadam in rebus designandis conspicua impellitur. Nec magis licet, omnem tenebrarum speciem עלטה voce 15, 17 nominari; nec 8, 13. 14, ubi יבש exaruit et חרב siccum fuit leguntur, tautologia statuenda est. [2])

2. Nunc examinemus, quae res praeter singula vocabula ad materiam argi. phil. pertineant.

---

1) Eo referenda: אמר (in altum evehi, ex intra ad extra niti, ab interno ad externum mundum se evolvere) et דבר (proprie: verba agere, propellere [Mühl. et Volck]); verba dominandi Gen. 1—11; מחה et שחת s. השחית; הצמיח facere ut aliquid virescat, progerminet, quoad substantiam = producere חוציא; verba perficiendi; רעה et חמס, nam illud non semper violentia peragitur et in hoc usurpando non iam primaria potestas respecta est; צלם (? utrum cum Mühl. et Volck imago excidendo, sculpendo confecta an imago umbrâ creata) et המות similitudo; מלאכה et מעשה; מאיר et צהר, nam splendendi notio periit; נתן ב' s. הקים ב' et כרת ב', nam hostiam feriri, nota accidens foederis est; ארבה clathri et חלון foramen. — 2) Dlm. ad Gen. 20, 17 adnotavit, אמה et שפחה, si res recte definiretur, inter se differe (qua de re iam Ilg. diserte locutus est, p. 390); quare non eundem scriptorem utroque nomine de eadem persona uti potuisse. Sed in ea re diiudicanda haec noli negligere! Quamquam enim etiam apud nos „Magd“ et „Dienstmädchen“ discrepant, iidem ad easdem personas significandas hoc illove nomine utuntur, prout iam honestius iam rudius loqui, eandem personam iam in altiorem conditionem tollere iam deprimere student. Ergo reputandum est, tale quid veteri scriptori in animo fuisse potuerit necne.

a) Ac primum quidem dubitari non posse videtur, quin in testimoniorum vere phil. numero etiam societates, quas substantiva cum verbis vel utrumque cum praepp. ineunt, et vocum paria assonantia [1]) habenda sint. Ad unam enim solam rem coalescentia, a scriptore cogitando nec formantur neque eliguntur. Valde autem dubium est, num etiam in ratione varia partium notionis late patentis (velut animalis, plantae) enumerandarum proprietatem alicuius libri phil. cerni liceat. Eichh. et Ilg. [2]) multa huc spectantia congesserunt; nemo autem eos aut secutus est aut refutavit. Atqui verum est, auctoris ingenium ex descriptione notionum late patentium cognosci posse, cum ea, si semper repetitur, patefaciat, eum nosse, secundum quod fundamentum illae notiones dividendae sint, eique hanc rhetorices figuram (*περίφρασιν*, enumerationem partium) in usu esse [3]); sed id philosophiam, vix ac ne vix quidem elocutionem eius spectat. Quamquam autem eiusmodi enumerationes, quae obvenire solent, non per se spectatae ad materiam huius argi. pertinent, nihilosecius tamen, quotiescunque singulari sono ori et auri faciles et gratae fiunt. [4])

Priusquam ad alterum linguae thesaurum transeamus, commemorandum est, formarum ex lexico depromptarum eas non strictiori sensu linguales esse, quae ab ipso scriptore meditando fictae sunt.

b) Quo magis dubitari poterat, num indicia phil. a viris criticis primo allata, quippe quae ex lexicali linguae parte hausta essent, multum ad quaestionem resolvendam valerent: eo firmius exspectari poterat, fore, ut indicia grammatica sedulo conquirerentur et ad illorum pondus augendum adiice-

---

1) תֹּהוּ וּבֹהוּ; נע ונד; עפר ואפר. — 2) Eichh. p. 53—57; Ilg. p. 381. — 3) עצור ועזוב inde a Deut. 32, 36. — 4) Num „Sem et Ham et Japheth“ (Del. p. 233), quaeritur. Mihi quidem, cur trium nominum duo monosyllaba et in mem exeuntia, ordine aetatis neglecto, componerentur (acc. 5, 32; 6, 10; nomin. 7, 13; 9, 18; 10, 1, cf. שם ויפת 9, 23), in rhythmi studio satis causae non situm fuisse videtur; sed, quia Ham propius ad Sem habitabat, non minus ille ordo in usum venisse, quam c. 10 et ob geographiam et ob notissimam illam Geneseos rationem, ab rebus et personis a salute et populo electo remotissimis ad propiores progrediendi, Japhethi, Hami, Semi deinceps posteri commemorantur. Sed exemplum invenis Jes. 24, 17.

rentur. Id ne tum quidem factum esse, cum oculi virorum doctorum ad ea conversi essent, magis etiam est mirum. An quominus miremur, eo prohiberi potest, quod ne hodie quidem notum esse videtur, Gesenium iam 1817 in prooemio libri, qui Lehrgebäude d. hbr. Spr. inscriptus est, quantum res grammaticae ad problemata artis criticae sublimiora expedienda facerent exposuisse, ad nonnullas res maxime praecipuas, a se primo observatas, animos direxisse, multis totius libri locis eiusmodi rerum mentionem fecisse?

Nonne autem etiam in linguae cuiusdam grammaticam formae irrepere possunt, quae cogitationi s. arti debentur? Non sermo est de formis, quibus lingua quaedam in alium statum eumque minus perfectum immutatur. [1]) Nam hae formae et vi linguae non minus forti, quam qua antiquiores et perfectiores, et apud totum populum vel saltem totam eius partem eodem tempore gignuntur. Sed sermo est de formis a vulgari et doctorum et rudiorum hominum usu recedentibus atque ad proprium quendam gustum effictis. [2]) Eiusmodi formae separandae sunt a formis vere lingualibus. Ut autem illae etiam in libris linguae emortuae investigentur, idcirco fieri potest, quia rerum natura semper ferebat, ut arbitraria paucis placerent. Quare, si contingit, ut, formis longe plurimis inter se collatis, perspiciatur, quas leges lingua quaedam in statu et integritatis et degenerationis observet: fieri non potest, quin postremo cognoscatur, quae praeter naturam exstiterint.

Magis etiam, quam grammatica in universum spectata, nonnullae eius partes neglectae sunt. Qui autem nunc, ut lacunam disputationis literariae resarciat, cur syntaxis neglecta sit, explicare studet, dicere potest, leges eius non ex coeco linguae motu, sed ex iudiciis et ratiociniis natas esse.

---

1) ex. gr. si in lingua germana, ut coniugationis discrepantiae magis magisque deleantur, compluria verba non iam antiquiori (firmâ; quae vocali stirpis mutata fit), sed iuveniori (debili; verbo auxiliario adiecto) ratione flectuntur (schmeckte f. schmak; steckte f. stak; bratete f. briet); vel si nostratium rudiores casus inter se commutant, vel negligentiores difficiliorem m, qua dativus indicatur, faciliori n commutant. — 2) Ex. c. Kleinert: augenblicks l. l. p. 155; im Zusammenhalt mit 172; heut 183; bald 200 Z. 4 v. u.; Verstreuung 201; die Anerkenntniss 206; all jene 211.

Quamvis autem, quotiescunque a posteriori eas consideramus, miremur, quod logices artem in iis quodammodo corpus sibi induerit: neque a priori constitutae sunt meditatione neque a quoquam, quamdiu nulla nisi patria lingua utitur, meditatione discuntur. Concedimus igitur, syntaxeos normas ab aliarum grammatices partium rebus eo differre, quod interdum unam ex pluribus eligi licet et quod non consuetudine solum sed etiam iudicio ductus scriptor hanc illamve sequitur: attamen nemo, nisi conscientiam et sensum genuini linguae usus sibi et popularibus insitum laedere vult, eiusmodi legum varietatem excogitare debet.[1]) Itaque necesse est, grammaticen a capite usque ad calcem excuti.

c) Si nunc quaerimus, num, quae de variis stili generibus, proprietatibus rhetoricis, universa disserendi ratione observantur, ad argi. phil. materiam locupletandam adhiberi permissum sit: non metuimus, ne reprehendamur, quia nemo infitiatur, eas res grammaticen inter et logicen interiectas esse. Nam non populi usu communi impulsus quisquam α) voces angustas vel late patentes quaerit, in universum strictius vel incertius scribit, sublimius vel inferius dicendi genus praefert, rhythmo gaudet, vario colore enuntiata pingit,[2]) diligenter enuntiata inter se copulat; vario modo scribere studet, copia vocabulorum delectatur;[3]) — β) his illisve formae vel sensus figuris utitur; — γ) sic vel sic res disponit, a specialibus ad generalia, a cognitis ad deducta vel vice versa progrediens; quoties dissertationis particula absoluta est, qua via incedat, monet; interdum retrospicit et recapitulationes inserit; locos aliorum scriptorum

---

1) Kleinert: Absolute Nominative „so angesehen“ 66; „dieses anerkannt, wird man“ 93; „alles gleichmässig erwogen, kann ich“ 113; selbständige Stellung eines abhängigen Gedankens, welcher an den vorhergehenden angeschlossen sein müsste „e. Erwartg., die“ 90; „e. einz. Moment, das“ 109 2 mal; „eine Meing., deren“ 190; e. Noth, i. w. 201; „welche Vergleichg.“ 213 Anm.; sogar als selbständ. Satz „daneben freilich“ 14; „oder“ 30; „ebensowenig“ 34; „so zwar dass“ 35. 55. 62. 135. 206; „u. zwar“ 96; „u. zwar so“ 203. 208. 213. „viell. dass“ 74; „näml. dass“ 200; „wie denn auch“ 74; „wie ja dieses“ 19; „womit“ 86; „wobei“ 187; „ebenso“ 92; „sodass“ 175; „sondern“ 98. 195 Anm.; „zumal“ 115; „dieses v. d. Auffassg. a.“ 181; „einmal insofern“ 198. Cf. Böhme, Thucyd. 1876, p. XX. — 2) Expressio „coloris“ ex Ew. Lb. § 320. — 3) Cf. Winer, Gram. § 61 ss.

allegat, ex nominibus argumentatur et unde nomina originem ducant iniicit; ex phaenomenis naturae vel rebus historiae vel processibus animi argumenta et exempla haurit. Sed ex his ipsis, quae modo enumeravimus, elucet, stili genus, quo aliae cuiusdam proprietates linguales quasi indumento versicolore involvuntur, partim saltem cum lingua eius cohaerere.

II.

1. Ac primum quidem, si de materia argi. ling. congerenda agitur, supervacaneum esse videatur,

a) quaeri, ubi ea inveniatur. Sed ut id quaeramus, duabus causis movemur. Videlicet dubitari potest, num liber perscrutandus certae eiusque permagnae amplitudinis esse debeat. Quid lex literarum universalis hac de re praecipiat, constat; nemo enim nescit, ex rebus observatis eo certius concludi, quo maior earum sit copia. Sed illi ea addenda est, quae ex naturae argi. phil. propria fluit. Cum enim non necesse sit, alterius auctoris linguam ab alterius cunctis in rebus s. toto coelo differre; accidere potest, ut, si regio exploranda terminis angustioribus circumscribitur, discrepantiae si non omnes, saltem maximam partem desint. Quod rectissime perspexit Hgstb.[1]) — Neque sufficit, quantus esse debeat textus, nos scire, sed etiam in quali textu materies sit colligenda, explicemus opus est. Nempe ante omnia per se intelligitur, eum non secundum opiniones incertas sed Masorae praecepta exacte constituendum esse. Hinc sequitur, editiones a Baerio et Delitzschio comparatas adhibendas esse, ad libros autem, qui nondum ab illis emendati sint, corrigendos traditionis thesauros ipsos esse adeundos.

Sed fortiori in dies voce clamatur, in textu masoretico perscrutando et restituendo nos acquiescere non licere. Ut statim habeas, quid equidem de ea quaestione positive statuam, sine ulla dubitatione contendi posse mihi videtur, orthographiam, literis, quae vocalibus indicandis inserviunt et quiescunt[2]), auctis vel diminutis vel permutatis, aliqua ex parte aliam factam esse. Reliquas autem literas, velut nominum propri-

1) 1833, col. 357. — 2) Rich. Sim. p. 22.

orum, a scribis in textu immutatas esse, minus verisimile est. Nec magis paucae corruptelae, quae sive negligentia sive de diligentia irrepserunt, ex gr. omissio ו copulativae [1]), discrepantiam stili generum deleverunt. Ut autem nova illa sententia de textu masoretico lata omni modo examinetur neve statim novum axioma oriatur, haec moneo:

Primum verba Wellhausenii, introd. p. 622, quibus codicem sacrum aetate antemasoretica minus religiose quam masoretica conservatum esse supponit, non proxime ad verisimilitudinem accedere mihi videntur. Immo cum per se verisimilius sit, antea eandem quam postea diligentiam adhibitam esse: iudicium, rem aliter se habere i. e. posteriorem severitatem ad antiquiorem levitatem reprimendam postulatam esse, nisi firmis argis. fultum nobis probari non potest. Ea autem ex universali aetatis anteexilicae vel etiam anteesdrensis, antepharisaeae, antemasoreticae indole religiosa consideranda et alexandrino textu cum masoretarum comparato hauriri posse, non ita nobis placet. Nam ante omnia a viro illo docto duo, quae diversi generis sunt, commisceri mihi videntur. Nonne enim prorsus aliud est, literarum monumenta accurate transscribere, aliud praecepta theocratiae contra ethnicorum impetum et popularium debilitatem defendere? Illa igitur summa diligentia sine pietate probe cogitari potest, sicut cum pietate, quae Christianorum in suam Scr. S. erat, minor diligentiae gradus coniunctus invenitur. Ergo illa hebraicorum scribarum cura non ex religione sed potius ex severa nationis consuetudine et laudando *τέχνῃσ* usu profecta esse videtur. Ergo inde, quod ante exilium non omnia religionis mandata fideliter servata sunt, concludere non licet, etiam in literis conservandis fidem et diligentiam defuisse. Porro, nisi saeculis, quae finem exilii ipsum (536) [2]), iis tamen, quae Esrae (458) et Nehemiae reditum (445) proxime secuta sunt, codex sacer eodem honore et eadem pietate, quibus post masoram literis consignatam et compositam, afficiebatur. Nec

---

1) Curtiss, The Levitical Priests 1877, p. 190 ss.; 1878, p. 23. — 2) Nam annis exilium inter et Esram intermediis amor Jehovae interdum tepebat et lex nonnullis in rebus violata est. cf. Hag.; Sach. 5. 7; Mal.; Esr. 9; Neh. 5. 13.

demonstrari potest, inde ab eo demum tempore libros Vis. Ti. ab Judaeis sacrosanctos existimatos s. sententiam nationis de veterum scriptorum dignitate rigorosam, prorsus immutabilem, pharisaeam factum esse, quo (70 p. Chr.[1]) Pharisaei, Sadducaeis victis, non solum mentes sed etiam res externas populi regere coeperunt. Nam in revelationis literis magni aestimandis utraque populi pars conspiravit[2]). Quodsi plus 150 anni post theocratiam merito Esrae et Neh. restauratam et foedus iureiurando sollemni interposito restitutam praetergressi erant, cum codex Alexandriae verti coeptus est: fortissime retinemur, quominus LXX virorum lectiones inde derivemus, quod periodo antepharisaea textus minus religiose conservatus sit. Nonne autem illa Wellhausenii sententia denique eo commendatur, quod Aquilae, cet. et Targumistarum versiones magis quam Alexandrina cum textu masoretico consentiunt? Id non inde explicandum esse, quod etiam post Alexandrinam versionem confectam usque ad Pharisaeorum plenam victoriam Palaestinensis textus minus fideliter servatus sit, supra simul demonstratum est. Neque autem de ea difficultate expedienda desperandum est. Cur tandem non *διασκευῆς* opus (Wellh. introd. p. 157), cui nunc tot hebraici textus mutationes adscribuntur, praecipue in graeco textu factum esse supponitur? Nonne, graecum textum multipliciter immutatum esse, inde recte colligitur, quod tam varie ad nostram aetatem traditus est? Nonne verisimillimum est, Alexandriae, in urbe philologorum, textum variis ex rationibus artem criticam expertum esse? — Quia igitur, et religiosa historiae Israelitarum Palaestinensium postexilicae (postesdrensis) indole et maiore Aegyptiorum libertate perponderata, verisimillimum est, in Palaestina originalem textum fidelius conservatum esse quam in Aegypto: non licet, praesumamus, omnes Graecorum lectiones ab antiquiore textus forma profectas esse. Sed singulis locis

---

1) Si Wellh. introd. p. 624 lin. 1. et 2. annos 40, quasi tum nihil fuerint, negligit, idem peccatum committit, cuius Delitzschium aliosque sine justa causa accusat, Gesch. p. 172 sup. 421 med. — 2) cf. Schürer, Neutestl. Ztgsch. p. 424 (Joseph. antt. XIII, 10, 6) et Philonis de Canonis theopneustia verba ap. Joh. Delitzschium, de Scr. Sae. inspiratione etc. p. 2 nota; p. 10 s. Non negligendum est Matth. 5, 18: *ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία.*

agnoscendum est, interpretes graecos aut in locis sive revera sive primo obtutu obscuris dilucidandis nimios fuisse [1]) aut in textu suo hebraico alia ac nos legisse. Neque aliud quidquam contendo, quam hunc alterum lectionis varietatum fontem non, quasi id historicis rationibus optime respondeat, primo sed posteriore loco adeundum esse.

Deinde ut ad singula transeam, addo, matres lectiones revera falsas non minus facile, quam post Alexandrinam versionem confectam, iam antea irrepere potuisse (contra Wellh. introd. p. 632 de Ij. 19, 18). Porro nominum propriorum orthographiam etiam in appellativis adhibitam esse (l. l. p. 632), asseverari non licet; quia illa facilius cognosci et pronuntiari poterant. Tum orthographicas regulas, quas in monumentis, easdem in voluminibus conficiendis observatas esse non cogente vi coniicitur. Nonne enim fieri poterat, ut in illis, quaecunque deesse poterant, omitterentur, in his, quippe quae facilius tractari possent, eadem aetate plura lectionis fulcra appingerentur? Atque eo minor vis orthographiae monumentorum tribuenda est, cum et ipsa literas ad vocales indicandas servientes tum omittant tum adiiciant, Wellh. p. 636 [2]).

Denique non erat, quod Wellh. p. 637 init. adversarios his verbis derideret „Es übt fast eine komische Wirkung, wenn הוא = היא für die Authentie oder das höhere Alter des Pent. . . . . angeführt werden“. Nam eo, quod, has matres lectionis ו et י non authenticas s. non ab auctoribus ipsis scriptas esse, certum vel saltem verisimillimum esse affirmatur, non simul illa difficultas expedita est, quae in eo posita est, quod nisi in Pento nusquam litera ו, ut utriusque generis forma exprimeretur, scripta est. Sive igitur haec scribendi ratio electa est, ut soni hû, sive ut soni hü indicarentur [3]); Pento. aliquid eximii inest. Quam difficultatem ad removendam tres vias nos ingredi licet. Attamen (1) primum contendere, fortuito accidisse, ut scriba Penti. exemplaris, quod unici V. Ti. codicis, quem omnium nostrorum manu-

---

1) Huc equidem refero, eos ps. 40, 7 כרה verbo latius patente ἐξαρτίζεσθαι reddidisse; etiam ea, quae Wéllho. Gesch. p. 125 ad Hes. 44, 7. 8 placent. — 2) Assentitur mihi Nöldeke, Z. D. M. G., XXXII. 1878. p. 593. — 3) Böttch. Lb. § 860, 2; Keil, p. 160.

scriptorum fuisse patrem nonnulli affirmant*, partem efficit, ita scribere consuetus esset, non una causa deterriti non audebimus. Porro (2) dubiis non caret ea sententia, Pentum. in ultimam formam, quam nunc etiam vocalium literis refert, prius quam alios V. Ti, libros et eo quidem tempore redactum esse (ab auctoribus ipsis?), quo nondum duo genera tertiae personae sing. pronuntiando distincta sunt. Sed (3) hoc concedendum est et ne a criticis quidem negari potest, Hebraeos, quippe qui non ignoraverint, linguam suam in illius pronominis genere excolendo progressam esse, eo consilio per Pentum. unam formam pro utroque genere posuisse, ut, eum antiquiori aetati attribuendum esse, significarent [1]).

*Quominus iis assentiar, his impedior. Non laetarer, si de verbis litigare viderer; attamen nimia vi temptor, quam ut non, quibus verbis Wellh. p. 621 Lagardium impugnavit [2]), iis ad eum ipsum refellendum utar. Nam si Wellh. affert, Olshausenium [3]) iam idcirco, quia omnibus manuscriptis eaedem res mirae (lacunae; literae inversae, suspensae, maiusculae, minusculae) contineantur, ea omnia ab unico exemplari derivare: petitio principii est. Quodsi illi arga., quibus Lag. eandem sententiam defendit, non comprobantur, nulla alia sunt. Lagardii autem arga. has ob causas mihi reprobanda esse videntur. Primum res per se spectata non potest non maxime incredibilis nobis videri. Quid enim magis mirum, quam quod ex aetate, qua lex et prophetae tot in synagogis legebantur et psalmi cantabantur, unum solum exemplar remanserit, ut omnia nostra manuscripta generaret? Deinde, etiamsi explicari non posset [4]), cur cuncta illa singularia

---

1) Pentateuchi הוא pro היא archaismum iudicantes, Mühl. et Volck, Lex. s. v., verisimiliter sibi voluerunt, secundam viam ad expediendam difficultatem ingrediendam, ergo scriptionem ab ultimis Penti. auctoribus ipsis repetendam esse. Kautzsch (Gram. Ges. p. 86; Schür. Th. Ltrztg. 1878; Nr. 18) et Nöld. (Z. D. M. G. 1878, p. 594) Wellhausenio in eo adstipulati sunt, quod prima via illam Penti. proprietatem explicandam esse ducunt. — 2) „Diese Wendung (von Lagarde) wird man nicht sehr glücklich finden". — 3) Mihi quidem non metuendum est, ne Olshausenii de gloria detrahere studere videar. Cf. libellos meos „Gedanke, Laut u. Accent" 1874, p. 100; „Stud. ü. d. Aethiop." 1877, p. 73. — 4) Cf. autem Ex. 34, 14: hoc אחר maximi momenti est; Nm. 10, 35 s. duae

cunctis locis exstiterunt: parum nobis probatum esset, aut universa ob externas fortuitasve causas orta aut tam ridiculo studio fortuita (qualia ex Lagardii sententia essent) vitia imitandi ex alio exemplari alii obtrusa esse. Denique non magis quam Brockhaus (cf. Wellh. introd. p. 621 s.) omnia Rigvedae manuscripta, quamvis accuratissime consentiant, ab uno archetypo originem ducere statuit, de hebraeis mscr. id contendi licet. Ut in India sic in Palaestina evenire potuit, ut secundum scribarum regulas, quae nobis non verbis sed facto traditae sunt, omnes proprietates externam indolem spectantes in omnes codices irreperent. — Cur igitur veterum sententia, omnia exemplaria ad masoretarum leges accomodata esse, nunc plane deseritur? Cur viri docti non satis habuerunt, illam veterum sententiam his verbis, quae sola historicis causis commendari videntur, explicare: miras illas mscrr. nostrorum notas in **variis** exemplaribus **paulatim** ortas, tum a masoretis collectas et postea secundum eorum regulas in omnibus [1]) codicibus retentas esse? Cur nova sententia profertur, eum solum in finem, ut textus illius unici vetustissimi exemplaris vel conservaretur vel restitueretur, masoram conscriptam esse?

b) Altero loco quaeritur, quomodo in textu, qui quam maxime amplus et correctus et originalis est, materies colligenda sit. Hoc ut definiamus, vix est cur moneamus, regionem assignatam totam perlustrandam esse. Huc imprimis nonnulla Hoelemanni verba spectant [2])-

Minus autem hucusque aut cognitum aut concessum est, quotquot indicia ad linguam pertinere supra intelleximus, ea omnia respici debere. Nam historia huius argi. nobis narravit, copiam testimoniorum lentissime auctam et hucusque particulam tantum eorum observatam esse. Id eam ob causam evenit, quod in quae quisque fortuito incidit et pro sensu sibi

---

nun inv. pro uncis positae sunt; Dt. 6, 4 ut Exodi loco; Hiob 38, 13. 15 propter posteriorum omissionem literae ע; Koh. 7, 1: hic est locus, qui duplici טוב insignis est; 12, 14: hic סוף memoriae bene imprimendus est.

1) De בן Hiob 38, 1; 40, 6 variant libri. — 2) Contra Ranke et Del., quia Gn. 2, 4b ad praecedentia, et contra Kurtz, quia 2, 4a, ad sequentia pertinere iudicant, scripsit p. 14 Anm.

proprio quae afferrentur digna esse existimavit, ea congesta sunt[1]). Illam autem regulam a nobis praescriptam omnino sequendam esse, nos ex aliis scientis discere non necesse est; sed simulatque animus in eam dirigitur, per se spectata placet. Nemo enim scit, nonne in rebus, quae minimi ponderis esse videntur, fontes maxime et luculentissime dissentiant[2]). Quis tandem, exemplis nondum omnibus observatis, iudicare potest, quae materiei pars alterum ab altero auctore discernat[3]), sive quae vocabula omnino non idonea sint, quae certo scriptoris indolem depingant?[4]) Neque minus ad Kuenenii sententiam (apud Bleek-Wellh. p. 168) refutandam addimus, singulis rebus explorandis non solum non supersedendum, sed iis primum exploratis tanquam fundamento iacto aedificium superstruendum esse. Nam, si illa via incedimus: quamvis in literis colendis optimam methodum adhiberi gloriemur, axiomata a priori ponimus, quae apud aliam virorum doctorum partem alia esse possunt[5]).

---

1) Klein. p. 214. — 2) Klein. p. 163. — 3) „charakteristisch ist“ Keil, p. 154 ob. — 4) „irgend e. charact. Untersch. z. mark.“ Näg. Jes. p. XXVIII. col. 2; etiam contra Merx 1871, p. CI. Neque cum Klein. p. 214 timendum est, ut id coniuncta opera peragi queat. — At, si apud alium scriptorem omnia observantur, eandem regulam apud alium sequendam esse, per se liquet. Knob. autem neque ubique eadem sedulitate collegit neque omnes notas perinde aestimavit, cf. חבר Gn. 14, 3, alias ap. El.; פלרט 14, 13; השׁמרים sine בבקר 19, 2; מאת eloh. Kn. p. 180; Dlm. p. 294, sed omiserunt, מאה 23, 1 legi, Kn. omisit etiam Krit. p. 520; 24, 26 deest ארצה et legitur קדד, ergo is versus a Kn. Jehovistae abiudicandus erat, nam nisi v. 52 expressio jehov. non occurrit; p. 100 „dem Jeh. i. שׁמלה eigenth.“, ebs. Krit. p. 530, ergo 24, 53 non ab Jeh., quia בגד inven. Nihilominus Kurtz. p. 73 s. et Graf 1866 p. 3 viros criticos iniuria affecerunt. — 5) In inveniendis praesumptionibus, quibus variarum criticorum partium sententiae superstructae sunt, praecipuam operam collocavi. Cf. praeter ea, quae, suo quaeque loco, dissertatio infra praebet, haec: 1) Quia observatum est, fontem prioris El. in capp. 1. 5. 6. cet. scaturire, sumptum est, eundem in capp. 28—30 se conspicuum praebere, cf. quantopere Kn. in narrationis nexu continuando laboret, p. 231; Kays. p. 29. Hupfd. p. 77—79 idem imprimis Tuchio vertit vitio, sed cf. etiam Kn. ad cap. 39—41, p. 302. 2) Axioma Knobelii est omnes catalogos priori El. deberi, Krit. p. 509, et iam hanc ipsam ob causam cap. X. ab eo profectum esse.

Denique cum liceret, nos supra hoc argum. ad naturam eius examinandam cum argo. viri rerum naturae experti comparare, nescio an non inde quidquam discamus. Nonne vir rerum naturae peritus novissima et acerrima quaeque instrumenta sibi acquirit et optimam quamque observandi methodum sequitur? Nonne igitur nostri quoque oculi comparativa huius saeculi philologia contemplanda acuendi s. aptiores reddendi sunt, qui formas in earum elementa dissecent et dissecta singulatim aestiment vel syntaxin rectius disponant?

2. In adhibenda materia ibi et sic collecta praeter leges, in omnibus literis sequendas, nullae ferendae sunt. Itaque haec sola addimus, res, nisi omni ex parte sibi respondeant, non conferendas esse; singulas formas non pluris aestimandas esse quam universam textus indolem; ex rebus observatis nimis generalia concludi non debere. Ut igitur supra hortati sumus, ne a thesibus universalibus (axiomatis) initium caperetur, ita hic monemus, ne (e quo vitio literae nostra aetate multum detrimenti ceperunt) iudiciis generalioribus latis opus finiatur.

C. Vis

argumenti e sermone scriptorum repetiti.

I. Positive.

1. In universum. Ac primum quidem bene inculcandum est, altera indiciorum phil. parte singulos eiusdem periodi scriptores inter se, altera periodos linguae ipsas distingui. Quod Kleinert primus vel vidit vel diserte dixit.[1]) Et in singulis eiusdem periodi scriptoribus distinguendis minus adiuvamur discriminibus proprie[2]) lingualibus, quia eadem periodo vel nulla vel pauca esse solent, quam formis artefactis (etsi minus certo) et discrepantiarum lingualium lexicalibus, denique syntacticis rhetoricisque. Periodi autem linguae fere non possunt distingui iisdem tribus indiciorum generibus, sed formis fere solis, quae proprie linguales dicuntur. Sic fit, ut duae in-

1) p. 190. 192. — 2) Quae distinctio pag. proxima explicatur.

diciorum partes in discernendis singulis auctoribus et aetatibus propemodum se invicem excludant et suppleant.

Deinde explicandum est, cur formarum artefactarum auctoritas nunc a nobis in dubium vocata sit. Eam ob causam illis plus dubii inesse videtur, quia facilius quam formae (vere) linguales a pluribus personis vel eiusdem vel alius aetatis excogitari possunt; quamquam in iis quoque fingendis suas quisque scriptor et quodque saeculum sequitur consuetudines. — Cum formis artefactis coniungendae sunt expressiones et formae vel raro vel semel occurrentes. Nam secundum earum quoque vel frequentiam vel raritatem scriptores (eiusdem maxime periodi) inter se distingui possunt, quippe quae prodant, alterius animum ad raras formas usurpandas propensum esse, alterius vel non vel minus. Omnes enim res ratione nova vel saltem mira exprimere scriptoris alicuius proprium esse potest nec necesse est, eum maxime nedum omnino novitate vel raritate rerum ad novas vel raras formas eligendas adductum esse.[1]) Inde elucet, suo iure Pustkuchenium hapaxlegomenis multum tribuisse; quamquam his duabus in rebus erravit, et quod aliorum linguae indiciorum auctoritatem auctoritati hapaxlegomenorum postposuit, et quod ex his aetatem' maxime libri cognosci posse opinatus est. Cf. p. 63.

Postquam etiam hic formas ex singulorum hominum ingenio proficiscentes seposuimus, etiam eorum, quae non philosophiam sed linguam hominis spectare s. non meditationi sed coeco impulsui nationis deberi secunda dissertationis parte demonstravimus, duae classes constituendae sunt. Nam etiam indiciorum lingualium altera animum hominis solum, altera totam eius naturam sed corpus potissimum spectant. Quae altera indicia hic ibi a nobis proprie lingualia nominata sunt. Nunc nonnulla de utraque classe, sed praecipue de altera addimus.

a) Non meditatione, sed partim origine ipsa partim assuetudine, exercitatione, crebro usu partim studio varietatis et

---

1) cf. *κράβαττος* Mr. 2, 4; 6, 55; *κλίνη* Mt. 9, 1; Luc. 5, 18; quam paucae formae Joanni suffecerint, vide ap. Godet, Com. I. p. 101. 117; quam multis hapaxleg. Pauli epistolae abundent, v. ap. W. Schmidt Epheserbr. p. 26 (ad. Gal. 50; ad Eph. et Col. circa 140).

harmoniae linguales proprietates acquiruntur. Ergo iis acquirendis non tam animus quam corporis quaedam partes occupantur. Itaque actum loquendi conferri licet cum motionibus, quae pedibus, manibus, singulis digitis et apud omnes homines pariter fiunt.

b) Non a singulis hominibus lingua formatur, sed a cunctis eiusdem gentis sociis sive omnibus eiusdem regionis incolis, ab hominibus denique eiusdem aetatis. — Sane non potest prorsus negari, etiam quae hominis alicuius propria philosophiam spectent (nisi rationem sentiendi, sed tamen iudicandi et concludendi) a tota eius natione et saeculo originem ducere. Sed cum spiritualium hominis proprietatum physiologicae neque autem psychologicae corpus eius spectent: laxiora vincula sunt, quam quae solvi non soleant. Loquendi autem modus, quippe qui hominis corpori imitatione aliorum quasi imprimatur, non solum singulis hominibus firmissime adhaeret, sed etiam omnes populares et aequales velut vestis omnium communis circumdat.

c) Has duas ob causas diversarum regionum, quamvis prope alia ab alia absit, incolae nulla alia nota celerius et certius quam peculiari loquendi ratione dignoscuntur. Nec modus eorum proprius omnes res considerandi et diiudicandi nec corporum figurarum proprietates tam fidae sunt notae. Nec minus quam de incolis variorum locorum id valet de hominibus variarum aetatum. An non id quoque exemplis hominum nostri ipsius temporis probatur? Cum decenniis, quae proxime abhinc praeterfluxerunt, multo quam antea celerius is loquendi modus, qui in scriptis solus usurpari solet, in urbibus vicisque fines regni sui propagaret: nonnulli, novam rationem aspernantes, quodammodo vivi praeteritae aetatis testes evaserunt. Quantumvis iidem et iudiciis quibusdam retinendis, imaginibus quibusdam adhibendis, tota se gerendi ratione ab amicis novae dialecti differre soleant, vetus tamen loquendi ratio luculentissimum eorum indicium est. — Verum quidem est, ex iis, quibus viventium personarum dialecti indicantur, in examinandis dialecti peculiaritatibus praeteritarum generationum nonnulla eaque ipsa deesse, quae celerrime et fortissime auribus percipiuntur: modum dico consonantes et vocales pronunciandi, accentum strictiori sensu et praecipue latiori sensu

sumptum, quo hac voce universalis, rhythmica loquendi ratio significatur. Sed variarum regionum incolae et qui variarum aetatum testes viventes supra a nobis appellati sunt etiam eo cognoscuntur, quod semper vocabula quaedam in deliciis habent et flexionis quasdam formas praeferunt, nec vix minus certe eo quod fere omnia enuntiata vel coniunctione „et“ connectunt vel *ἀσυνδέτως* coacervant et coordinationem subordinationi praeferre solent. Quae cum ita sint, quis recte dubitaverit, quin etiam scriptores saeculorum iamdudum praeteritorum his notis phil. dignosci possint? An non haec sententia, auctorem aetatis suae loquendi usum imitari, a Delitzschio eo defendi potuit, quod multa collegit, in quibus sermo Pauli apostoli cum rabbinorum aequalium consentit? [1])

2. Quod ad singulas materiei partes attinet. Si recte modo censuimus, testimoniis proprie lingualibus idcirco vim inesse, quia corpore eduntur, corporali imitatione discuntur: gradu ponderis aliud linguae testimonium alii praecellit, quo magis minusve perfecte e corporis actione pendet. [2])

a) Indicia, quae e lexico depromuntur, duplici parte composita sunt, quarum altera rem, altera formam spectat. Quamquam ne illa quidem i. e. radix, unde vox progerminavit, consulto ad notionem exprimendam eligitur, idem tamen caecus linguae impetus eandem personam movere poterat, ut aliam quoque radicem ad eandem notionem depingendam adhiberet. Nam non solum p. 16 cognovimus, ad easdem notiones describendas varias imagines adhiberi, sed etiam p. 32 hominum res quas animis volvunt et modos quibus volvunt non ita difficulter mutari posse. Quis igitur, si eadem cogitatio nunc hac nunc illa translatione (metaphora) delineatur, certo affirmaverit, ab eademne persona usurpatae sint an a pluribus? Itaque, quia indiciorum ex lexico desumptorum altera pars (res ipsa, notio) mentem solam implet, eorum pondus parte dimidia elevatur. Cum autem ostendi possit, mentis potestatem ideas et imagines mutandi cohaerentia notionum et continuitate actuum psychologicorum coerceri: singularum vocum et magis etiam

1) In praef. translationi hebr. ep. ad Rom. datae praemissa p. 12 ss.; cf. p. 78 ad 3, 19. — 2) Klein. p. 187.

locutionum vis rursus augetur. Nam quia hae compluribus partibus compositae sunt, multiplicius quam illae cum ceteris animi notionibus et actibus coalescunt.

b) Altera illa vocabuli cuiusque pars, forma eius, grammatico tractanda est. Trium rerum, quibus externa vocum species absolvitur, prima quidem, quae usu clariorum vel obscuriorum vocalium continetur, lingua emortua, sentiri non potest; sed hic illic, debili consonante praetermisso, duas in unam contrahi, satis huc facit. [1]) Neque minus observari refert, num difficiliores consonantium soni et faciliores inter se permutentur. [2]) Denique bene consonantes et syllabae respiciendae sunt, quibus stirpi vel praepositis vel insertis vel annexis formarum copia producitur. [3]) Ex iis autem, quae supra de lingualium indiciorum omnium vi disputata sunt, patet, grammaticalibus indiciis hucusque allatis, ut quae maxime e corpore pendeant, summam vim tribuendam esse. Atque iis, quae in vocibus flectendis mutantur et audiendi loquendique instrumentorum negligentiae debentur, cf. ין et ים, eadem vis inest. Syntaxeos autem varietates, non corporis consuetudine illae fultae s. constantiores redditae, eiusdem auctoritatis, cuius indicia lexicalia, sunt. Non autem obliviscendum est, eas non solum e mentium singulorum ut variabilitate sic constantia sed etiam de totius populi proprietatibus psychologicis multo constantioribus pendere. Si denique, totum dicendi genus, universam disserendi rationem contemplantes, grammatica relicta ad rhetoricen potius nos convertimus: dixerit quispiam, his notis minimum momentum inesse, quia mentis solius quasi fructus et flores sint. Sed quod iam bis contendimus, ne mentis quidem conditionem omnibus legibus et fulcris destitutam esse, hanc rem examinantes liquidius cognoscimus. An non tota orationis indoles luculentissima nota est, qua alter scriptor ab altero, maxime eiusdem aetatis, cf. p. 30, digno-

---

1) cf. לבת Ex. 3, 2 secundum Gesen.; rectius c. Mühl. et Volck a לבב; לענות 10, 3. — 2) Hgstb. 1833, col. 350 „Für צחק d. Pent. find. s. spät., m. Ausn. v. 3 St., u. zw. 52 mal שחק. D. צ i. u. all. Zischlauten d. härt.; e. liegt ganz. i. Fortg. d. Spr., wenn harte Laute allmählich erweicht w.; col. 357 „die kürz. u. abgeschliffenere Form i. d. spät." — 3) cf. ות, quod stirpem sequitur, ת, quod antegreditur.

scitur? Cur res ita se habeat, inde explicari posse videtur, quod universum orationis genus ex tot et tam internis, profundis animi motibus nascitur, ut multifariam cum ingenii radicibus, ut ita dicam, cohaereat. Et quamquam, quibus singulis partibus ea res efficiatur et quibus ex fontibus profluat, explorantes, saepe, satis lucis affundi posse, desperamus: res tamen ipsa neque quod attinet ad certitudinem obscuratur neque quod attinet ad vim debilitatur. [1])

c) Patet, notarum phil. vim non solum propterea differre, quod aliae linguae partes aliis magis vel cum corpore vel cum animo concreverant, sed etiam quod aliae discrepantiae aliis magis a regularibus et vulgaribus recedunt. Ut testimonia phil. secundum hanc notam distinguamus, ab iis ordimur, quae ex alia linguarum stirpe (hamitica, indogerm.) orta sunt, et ad ea progredimur, quae ab eiusdem stirpis semiticae ramo originem ducunt. Quia, priusquam ea utraque vestigia ad libri alicuius aetatem definiendam adhiberi possint, statui necesse est, quo tempore ipsa irrepserint: ne ea quidem indubitatae auctoritatis sunt, quia rarissime prorsus ad liquidum perduci

---

1) Multarum syntaxeos et rhetorices varietatum, quas supra p. 22 enumeravimus, de nonnullis, quarum iamdudum critici rationem duxerunt, pauca addamus. 1) Die ordine interdum turbato, cf. Cler. p. XXXI, col. a; R. Sim. p. 35. 2) Repetitiones, de quibus iam vide R. Sim. p. 33—35, non ad lingualia indicia pertinent, nisi iis prorsus eadem contineri constat. Sin autem ex. gr. Gn. 21, 31b. 32 consideraveris, nonne iudicabis, difficulter illam recapitulationem ab uno auctore, facilius vel a primi fontis suppletore vel a fontium compilatore profectam esse? 3) In tota scribendi ratione cognoscenda et aestimanda primi hjs. argi. patroni mirum quantum iis qui secuti sunt praestiterunt; cf. Eichh. p. 57 s. 60 ss.; prae ceteris Ilgenii verba p. 386 digna sunt, quae in mem. revocentus; p. 390—92. Equidem haec addo: Sane necesse est, sermonem scriptoris cuiusd. in partes suas separari, sed non minus, eum postea rursus, quasi unum corpus sit, considerari. Nam, cum singula lustramus, vim et essentiam in iis viventem et ea concludentem contemplari non posse videmur, sicut corpore dilacerato anima, sonis disiunctis rhythmus, flore divulso coloris pulchritudo et odoris suavitas aufugit. Quodsi invenissem singulis observatis, stilum Eloh., quia vestigia proprietatum Jeh. praebet, mathematice ab Jeh. distingui non posse, rursus tamen eum distinguerem, si ex gr. capita 17. et 23. tota cum cap. 18. et 19. conferrem.

potest, ea non alia quoque aetate invecta esse posse. Inde autem, quod peregrinae linguae partes usurpari non possunt, nisi non solum scriptores sed etiam lectores eas intelligunt, earum vis rursus aliquid incrementi accipit. Speciatim de indiciis cum aliis linguis semiticis cognatis haec addi non supervacaneum esse videtur. Nam ad eorum vim diluendam fortasse quispiam dixerit, inter eas linguas non tantum discrimen intercedere, ut non quibusdam in rebus pares fuerint. Sed ea propinquitas minus in re ipsa quam in idea inveniri potest, si quidem ad radices et summas formandi normas retrospicimus. Sin autem formas, quae revera usu veniunt, spectas, tum omnia sunt diversa; quia cunctis partibus id sigillum quasi impressum est, quod cuiusque linguae proprium est. — Earum autem formarum, quae Aramaismi nuncupantur, duae classes constitui possunt. Prior (lexicalis) minoris auctoritatis est, quia eadem radix, quae Aramaeis usitata est, vel iam inde ab antiquo tempore vel incerto ex tempore etiam Hebraeis cognita esse potest. Posterior (grammaticalis) non solum formas complectitur, quae, veterascente lingua hbr., iisdem viribus et ad easdem leges, quae in aram. dominabantur, productae, rursus ab Aramaismis secludendae sunt, sed etiam formas, quae non eo modo exstiterunt sed aliunde invectae sunt.

Plurimum auctoritatis iis indiciis tribuendum est, quibus variae eiusdem linguae periodi dirimuntur. Plura vide p. 37.

Porro non obliviscendum est, creberrimis quibusque linguae partibus inde multum ponderis accrescere, quod saepissime et intime cum toto cogitationum ambitu coagmentantur; quamquam varietatis studio mens denique stimulari potest, ut formas nimis saepe occurrentes fastidiat et novis permutet. Quae igitur partium creberrimarum aurem oculumque (scribentis) minime stringunt et loquentem minime defatigant, sunt certissima testimonia. — Per se plane omittenda sunt discrimina, quae apud eundem scriptorem leguntur, ut מן ה׳ et מה׳ cf. „von dem“ et „vom“; nisi forte altera forma multo saepius quam altera occurrit. — Restat, ut adiiciamus, ex gradu, quo formae inter se differunt, coniici posse, quanto temporis spatio interiecto singulae exstiterint.

d) Cum illius intervalli longitudo, ut ex mensura (modo, qualitate), sic ex copia (quantitate) varietatum pendeat, reli-

quum est, ut de hac verba faciamus. Putemus non licet, rem propterea nullam esse, quia una sola sit.[1]) An non etiam singulari signo phaenomenon ipsum indicatur? Porro tum quoque, quando eadem forma in alteris libri partibus saepe, in alteris raro legitur, varios scriptores distingui permissum esse, intelligemus, simulatque satis perpenderimus, quae nostri ipsius temporis personarum loquentium exempla nos doceant. Nonne enim audimus, alteram quibusdam linguae partibus creberrimo, alteram iisdem rarius uti? Nonne autem nihilosecius, si, occlusis oculis eas auscultantes, nihil observaremus nisi quam saepe proprietates quaedam repeterentur, duos oratores discerneremus? Quae facillime, quando a duabus personis de eadem re disputetur, probari posse, per se apparet.[2])

II. Negative.

1. Ac prima quidem obiectionum classis indicia ipsa et linguam universe spectatam respicit.

a) Haud facile quispiam dixerit, nullas omnino linguae discrepantias adesse. Quamquam enim eae non primae effecerunt, ut plures partes a Pento. seiungerentur: satis tamen luculentae fuerunt, ad quas Geos. fontes dignoscerentur. Et simulatque oculi, Dei nominum varietate primum stricti, quasi reclusi et acuti fuerunt, alias quoque senserunt.[3]) — Facilius aliquis obiecerit, eiusmodi discrimina non inveniri, qualia germanis scriptis medii aevi et nostri sacculi intercedunt, potius talia sola occurrere, qualia intra eandem linguae alicuius periodum exstent.[4]) Quod fere recte adversarius contradixit.

---

1) Aliud est, quod Klein. p. 206 vituperat. — 2) Vim indiciorum, crescente eorum numero, ipsam crescere, iam Vat. p. 415 s. dixit. Stäh. 1843, p. 16—19 nimis indefinite de eorum numero his loquitur: fast stehend, häufig, gewöhnl., u. sonst selt., fast imm., öft., verhältnissm. wenig. Quare Kurtz 1844, p. 75 criticos reprehendit, quod satis haberent observare, quae crebrius ab altero quam ab altero usurparentur. Nihilominus autem recte ex. gr. Schrad. 1863, p. 156: „Hinter על־פני כל steht sonst beim Jahvisten fast ausnahmslos אדמה“. — 3) Jahnio 1803, p. 97, non Herbstio 1817 p. 11 assentior. — 4) Cf. iam Clericus l. l. p. 11 col. b.

Nam quantumvis V. Ti. libri ultimi (Esther, Koh., Dn.) ab antiquissimis distent, haec tamen vix plus difficultatis Israelitae parasse possunt, quam Lutheri nobis. Ea autem re concessa nihil aliud largimur, nisi periodos hbr. linguae non tantis discriminibus aliam ab alia separari, quantis nostrae. Eaque discrimina magis lexicon quam grammaticen spectare, tritum est. Nequaquam igitur largimur, praecipue copiam vocabulorum non satis mutatam esse, ut non duae saltem periodi linguae hbr. discerni possent. Nec magis censemus, Aramaismos tertii ordinis (p. 36) deesse. Utrum autem inter nonnullorum librorum (Penti. Jes. Ijobi) partes tantum discriminis intercedat, ut a pluribus personis profectae sint, necne, id ipsum quaeritur. Cur mihi quidem, in Pento. tantum intercedere (ex. c. universam Gn. cap. 17. 23 et 18. 19 scribendi indolem absolute nec relative differre) persuasum sit, suis locis exponetur. Quae discrimina ut melius perspiciantur, tria additamenta dissertationem sequentur.

b) Secundo loco obiici potest, discrimina ex alio Penti. fonte in alium illata esse. Neminem fugit, quantum ea sententia, tabulis originariis nunc non iam primam formam esse, ad huius argi. vim minuendam valeat. Postquam autem prioribus criseos stadiis illi obiectioni nimis tributum est [1]), postea iustius eius pondus expensum est. Quo melius principalium fontium indoles perspecta et propterea eorum numerus minutus est, eo rarius arcessitur.

c) Varietates orthographicas praecipue dubiae auctoritatis esse, ii contendunt, qui Nöldekii et Wellhausenii sententiae, consonantes vocalibus significandis inservientes omnino non ab auctoribus profectas sed multo post additas esse, album

---

1) Jam. R. Sim., quamvis multum absit, quin hebr. linguam ipsam mutatam esse et Aramaismos irrepsisse neget, cf. p. 23 . . . une infinité — après plusieurs siecles“ et praecique p. 23 „on a souvent — osé le faire“ interdum tamen recurrit ad „ceux qui ont fait le Recueil des Livres Sacrés“ p. 33 sive „ceux qui ont retouché cet.“ p. 39. Cf. etiam Klein., p. 215; Wellh. Gesch. p. 402 (de suffixis verb. et formis cum את compositis). — v. Lengerke p. XCVIII (difficulter propterea fontes iuveniores erui posse); Schrad. 1863 p. 118; Dillm. p. 102. 140. 154. 157. 176.

calculum adiiciunt.[1]) Inter omnes autem constat, posterioribus V. Ti. libris in universum scriptionem plenam magis praeferri quam prioribus, quamvis saepe haec regula violata sit. Quis est, quin statim notissimi illius exempli דוד et דויד meminerit? (Res autem, quae iampridem manifestae sunt, denuo in memoriam revocari, hodie maxime necessarium est.) Quam rem ut diiudicemus, similiter ac p. 26 procedendum est. Nam facere non possumus, quin hic repetamus, ab iis, qui hoc discrimen a temeraria scribae priorem unici illius codicis partem exarantis consuetudine[2]) derivant, quaestionem non iuste perponderatam esse. Nec vero magis ea res absolutae auctoritatis est. Eam enim ad auctores primarios ipsos redire, pro certo habeamus, non licet, etiamsi tam facile, quam nonnullis hodie ob monumentorum orthographiam videtur, refelli non potest. Eam autem relativae auctoritatis esse, retinemus. Certissime enim illud discrimen inde explicari videtur, quod apud Israelitas memoria retentum sit, antiquioribus temporibus vocales rarius per consonantes indicatas esse. — Haudquaquam nos praeterit, ita iudicantes nos quasi uno solo gressu ab iis distare, qui etiam ea formae elementa ad auctores ipsos referunt: sed illo uno gressu prorsus ad eos, quippe qui mutabilitatem humanae Scr. Sae. partis parum agnoscant, accedere non audemus. Sunt sane alia quoque, quae suadeant, ut summam cautionem in ea re diiudicanda adhibeamus. Numquid formae fortiores צחק, צעק deletae sunt?[3]) Cur non plures Aramaismi prioribus libris obtrusi sunt? — Ubi autem forma vocis non consonantibus indicatur, res minus certa est. Nam signa vocalium non sunt indiciis phil. adnumeranda.[4]) Quare non

---

1) Wellh. Geschichte p. 401 (de זכר et זכור) parum sibi constat. — 2) vel inde, quod primae duae Canonis partes tertia prius clausae et sacrosanctae declaratae sint, addere non licet, cum דויד etiam in Sacharia legatur. — 3) כשב vocabulo, quod olim inter indicia antiquae aetatis habitum est, cf. Hgstb. 1833, col. 350, nunc autem secundum arab. linguam forma facilior habetur, recte Klein. p. 192 usus est, ut demonstraret, non omnibus in rebus Pi. partes consentire, nam in sacerdotali legumlatione et Gn. (30, 32. 35. 39) praeter illud etiam כבש obvenit) Gn. 21, 29, quo in negando Klein. fallitur), cf. Deut. 14, 4. — 4) Contra eam regulam peccavit Hgstb. 1833 col. 354; Schrad. 1863 ad 11, 1–9.

dubito, quin ex. c. ך fin. vocali a instruendum sit.[1]) At pronunciationem traditam, quae a punctatoribus et masoretis fixa, non ficta est, consonantibus ילד falsam coniugationem (Kal pro Piel) adscripsisse, mihi quidem minime probatur.[2]) Non minus falso Wellh. 1876 p. 399 iudicavit „Gn. 4, 13—15 ist deutlich Auslegung von v. 24 mit irriger passiver Aussprache des reflexiven Hophal". Nam ut praetermittamus, v. 24 coniugationi Hophal non magis quam ullo alio loco sensum reflexivum inesse: num statuendum est, Hebraeum illius aetatis nescivisse, quid coniug. Hoph. et verbum crebro occurrens sibi vellent?

d) Alius porro dicat, discrimina nimis pauca esse. Id Keil sibi vult, cum, quod Pentum. et Gin. speciatim attinet, introd. p. 153, omnia indicia ex lexico deprompta numerum triados non excedere, demonstrasse sibi visus est. Sed ante omnia modus reprobandus est, quo discrepantias, illis tribus exceptis, nullas esse ostendere studet. Nam, ut singula quae obiicit deinceps persequamur, 1. locutio, quae undecies obvenit, auctor, in deliciis esse recte dicitur. 2. Falso asseverat ,nisi tribus capitibus, voculae מין usurpandae occasionem non fuisse. Nam si 6, 20 ab altero diluvii descriptore adiecta est, etiam ab altero ex. gr. 7, 2. 3 adiici potuit. 3. Quo iure negetur, Mesopotamiam ab Jha. ubique ארם נהרים appellatam esse, nemo videt, quia, ullo l o illam terram ab Jha. aliter atque illo nomine composito significatam esse, non ostendit. 4. Cum multis locis, quibus אחזה Ela. scripsit, collati, 4 capitis unius Nm. 32 parum probant, cf. p. 37. 5. Agitur de illo ipso vocabulo ארץ מגורים nec de verbo גור. 6. Admirationem nostram movent, quae de פרה ורבה disputavit. Sed magis etiam, Deum cum Noah, quamvis ברית locutioni הקים ב' ipsum insit et אות הברית 9, 12

---

1) Obversantur animo formae, ut תשקץ Gn. 19, 33; יהיץ 26, 35; תשתחוץ 37, 7. Pro certo habeo, etiam imperativos שמץ 4, 23 et קראץ Ex. 2, 20 *a* instruendos esse. Nam nisi sic statuimus, non explicatur, cur finiens *a* tribus solis locis perierit, ubi nûn finalis punctatores fallere potuit. — 2) Diestelio placuit Schür. Th. Ltz. 1876, Nr. 9 „dass ילד nur als Kal gedacht sei, ist noch sehr die Frage, weil w. uns d. älteste Schreibw. als streng defectiv z. denk. h., wie d. ält. Monum. zeig."; cf. praec. Wellh. Gesch. p. 68 nota.

legatur, foedus non icisse, nihilominus autem factis foedus [ergo rem non exsistentem] observasse (הקים ב') dici. An Keil sibi vult, Deum iam 6, 13 tacite foedus cum Noah iniisse, cuius foederis postea semper memor fuerit? Sed ita foedera a Deo non ineuntur, cf. Abramum 12, 1 vocatum et 15, 18; 17, 2 foedus ictum esse. Denique, quod ילד et הוליד attinet, criticis simpliciter adstipulatur. — Deinde res non idcirco exstinguitur, quia vel semel vel varo fit, cf. p. 37.

e) Apte nunc ad sententiam exponderandam transgredimur, eas res, quibus singulae Penti. partes discrepent, rebus multo pluribus, quibus consentiant, omni pondere privari, cf. praec. Keil, p. 154. 158 ss. Si ad illam eius sententiam convellendam satis haberemus dixisse, eam logices legibus plane excludi, nisi formaliter eum non vicissemus; propterea hanc opportunitatem nacti examinemus, quomodo evenire potuerit, ut nonnullis communibus rebus universus Pentus. et tanquam unius scriptoris liber probaretur et a ceteris libris discederet.' — Cum omnes Penti. fontes (cf. Schrad. introd. p. 269) nonnullis rebus (cf. הוא et נער) concinant, ingenue profiteor, me probe sensisse, quam gravis is lapis sit, quo Keil p. 161 init. sperat fore ut nuperiorum de Penti. compositione sententiae non solum se impingant sed etiam conquassentur. [1]) Sed quamvis p. 29 Wellhausenii sententiam, ex ו litera formae communis הוא ut multo post addita nulla ex parte concludi posse, quomodo pron. 3. ps. antiquioribus saeculis pronunciatum sit reprobaverim: recte tamen idem vir doctus statuisse mihi videtur (introd. p. 152), illas res communes non eiusmodi esse, quae Pentum. ab uno scriptum esse demonstrent. [2]) Omnino enim dici licet, eas vel ab Jha. suppletore vel a Penti. fontium compositore vel, quos fuisse nunc multi dictitant, diasceuastis aut, si aliqua in parte iam aderant, auctas aut, si adhuc prorsus deerant, illatas esse. Et quidni ab auctoribus fontium posteriorum priores sive imitantibus sive non imitantibus ipsis? Quod quemadmodum cogitari possit, p. 69 ostendere ausi sumus. Nec vero licet

---

1) Facili negotio eum ad latus volvit Spinoza p. 124 „הוא et היא; mutatio literae ו in י in Hebr. lingua frequens est"; de alia voce cf. Cler. p. XIII. col. b. „saepissime — debuit". — 2) eodem modo Graf 1866, p. 112.

nos opinari, id temere factum esse; sed hic tertium (p. 26. 39) repetendum est, id fieri prorsus non potuisse, nisi haec res duplex tunc temporis comprobata fuerit, et illas formas et Pentum. (vel saltem illam partem, quae eas res communes prima exhibuerit) ad superiorem linguae ac literarum aetatem pertinere. — Nec rectius a Merx 1871 p. CI expositum est, Knobelium in linguae testimoniis colligendis vitium commisisse. Nam quod, quibus in rebus fontes alias discrepantes consentirent, observaverit, ii iniuste crimini dat. Nam discrimina eam ab causam potestatem fontium separandorum non amittunt, quia in multis rebus communibus dispersa sunt.

f) Non defuerunt, qui discriminum vim eo diluere studerent, quod, quo tempore Pentus. ortus esset, linguam hbr. rudem necdum regulis firmis obstrictam esse, contenderunt. Quod qui opposuerunt, linguae vitam parum perspectam habuisse videntur. Nonne enim historia docet, linguas loquendo necdum scribendo servientes omnibus grammaticae in partibus pulcherrime ad normas naturae conformatas esse? Quod ut exemplis confirmetur, satis erit, inter linguas sem. dialectum Arabum deserticolarum, inter indogerm. dialectum Littavorum et vulgarem nostratium afferri. — Antiquioribus maxime huius quaestionis temporibus non minus crebro ex universali indole, quae linguae hbr. propria esset, argum. hauserunt; quoniam inde, et cur tam saepe eadem repeterentur et cur ordo crebro turbatus esset, explicari posse putabant [1]). Postquam autem, quae enarraverunt, perpenderis, ea, quippe quae ex nonnullorum scriptorum exemplis et iudiciis virorum doctorum ipsorum propriis, non ex omnium observatione vel re ipsa promanaverint, parum valere iudicabis. — Eodem tempore multi erant in indole linguarum sem. omnium describenda, quia eo exponere studebant, cur lingua omnium V. Ti. librorum simillima esset [2]). Neque id iniuria. Nam ipsi p. 38 statuimus, priorum librorum hbri. Cod., de quorum saeculo nemo dubitat, i. e. propheticorum linguam ab ultimorum parvo disso-

---

1) Cleric. p. XXXI, b.; R. Sim. p. 35. 39; Vater p. 408. 411; de Wette 1807 p. 28—30; Fritzsche p. 38; Herbst 1817 p. 11; Stäh. 1831 p. 32; Drechsl. 1838 p. 185 s.; v. Leng. p. CVI. — 2) Cf. Hgstb. 1833, col. 346 ss.

nare, aetatem autem 500 annis distare. Quare nostro iure censemus, hbr. linguam omnino minoribus et lentioribus gressibus ab uno statu ad alterum provectam esse, ergo etiam Mosis ipsius linguam a posteriori non ita multum discrepuisse, ergo minus a verisimilitudine abhorrere, Pento. etiam Mosaica inesse. — Eosdem autem causam eius rei in eo quaesivisse, quod Israelitae a societate et commercio aliarum gentium abalienati fuerint, permirum est. Et quae ex Syr. et Arab. linguae historia identidem attulerunt, partim alienâ, cum Syr. virorum doctorum lingua facta esset, partim non satis confirmata sunt, cum recentior Arabismus ab antiquo magnopere discrepet.

g) Denique quaeri potest, num lingua ad prius vitae stadium sua sponte retrogrediatur s. num voces et formae ex mari oblivionis, in quod immersae sint, ultro rursus ascendant. Annales linguarum respondent, voces quidem redire, neque autem eisdem formis indutas. Quamquam enim eaedem leges et vires semper operantur, alia tamen producuntur, quia iis nova semper materia transformatur. — Aliud est interrogare, utrum discrimina, quae duabus formis cf. אל et אל, intercedunt, prius evanescere et deinde redintegrari possint, an status linguae, quo duae formae inter se miscentur, utique ultimus sit. Per se spectatum etiam illud evenire posse, negari non licet; in illis autem ipsis voculis id evenisse non videtur [1]).

2. Secunda obiectionum classis **animi** scriptorum **vitam** s. psychologicam hominis naturam respicit.

a) Si ullae varietates iam fuerunt, nonne homo vel illis omnibus simul uti vel saltem modo hanc modo illam praeferre potuit? Nam si anima hominis in universum libera esse recte dicitur [2]), nonne mens scriptoris prorsus libere rationem scribendi mutare potest? Atque haec obiectio digna est, quae tripliciter tractetur.

---

1) cf. Jud. 20, 29. 36; 1 Sm. 1, 9; 25, 17. 20; 2 Chron. 30, 1. — 2) quia conscientia arbitrii ipsa et vis annuendi resistendique ex ea profluens inter facultates animi referenda et ad eius actiones explicandas adhibenda est.

Historia quaestionis de libertate scriptorum ortae. Fuerunt quidem, qui plus minus clare illius obiectionis, a scriptoris libertate repetitae, mentionem facerent et obiter eam perstringerent; nemo autem usquedum aut ei rectum nomen indidit aut, quantum ad argi. phil. auctoritatem destruendam revera faciat, exponere conatus est.

Ut ab iis ordiamur, qui eius rationem duxerunt: non mirum est, quod Corrodii [1]) vox neglecta est, cum nimius in libertate laudanda esset. Sed non magis verba Vateri, Hassii, Fritzschii, Jahnii [2]) audita, accepta, reiecta sunt. Decenniis insequentibus rarius etiam et, si a Kurtzio et Delitzschio [3]) recesseris, casu fortuito magis quam systematice, tacite magis quam diserte libertas scriptoribus vindicata est. Etiam profanarum literarum viri critici in ea defendenda versati sunt [4]).

Eo minus est, quod miremur, eam crebro tum verbis (Herbst et Stäh.[5]) quum ipso facto neglectam esse. Quibus enim de causis Knob. Gn. 24, 61^{b}—67 alteri Elae. attribuit? Dicit, eo, quod ארץ הנגב pro הנגב positum sit, eum cognosci; sed illa compositio etiam Jud. 1, 15 occurrit; ergone is quoque locus cum Knob. (Kritik p. 541) eidem auctori tribuendus est? Num porro ex הלזה satis evidenter cognoscitur illos versus ab alio ac qui praecedentes scripserit adiectos et quidem ab eodem, qui propter eandem ipsam formam 37,19 scripserit? Num denique ex צעיף, propter quod etiam 38, 14. 19 alteri Elae. adscribit? — Atqui 12, 3; 18, 18, quamquam sententiam notissimam vario modo exhibent, Jhae. attribuit; item cap. 5. totum priori Elae., quamquam v. 5 in indicandis Adami annis, quasi quid „omnes eius dies“ sibi vellent explicaturus, אשר חי addidit, deinde omisit; cf. quam libere יֶלֶד 21, 8. 14—16 et נער v. 18—20 se invicem excipiant. Propter הרבה ארבה 3, 16; 16, 10; 22, 17 eidem attribuit, quamquam

---

1) cf. p. 7 not. 3. — 2) Vat., p. 411. 415 s. 422; Hasse, p. 229. 231 ss. 249—51; Fritzsche, p. 35—38. 99; Jahn 1818, p. 559; Böhmer 1862, p. 141; Schrad. 1863, p. 123. 131. 137. — 3) Kurtz, p. 76; Del. 1852, p. 24; 1872, p. 27. — 4) Weiske, Ciceronis oratt. p. XI. XII; Richter, orat. pro rege Dej. (Teubn.), Einl. — 5) Herbst 1817, p. 11. 43; Stäh. 1831, p. 22.

idem auctor alias a se ipso discedit cf. 3, 11. 17; quia porro „vocem tollere et flere“ duobus Penti. locis occurrit, qui ex aliis indiciis Jhae. adscribuntur, is solus illa phrasi usus esse dicitur, cf. ad 21, 16. Porro אלה תלדות a priori Ela. solo usurpatum esse, Kn. firmissime asseverat; parum autem sibi constans, omnes genealogias complures generationes complectentes priori Elae. attribuit, etsi alterae, cf. 4, 18 bis ילד ct., alterae הוליד praeferunt; nec minus Dillm. 25, 3, etsi ילד legitur, eidem assignavit. — Si aliis locis auctores non satis tenaciter regulam, a criticis iis praescriptam sequuntur: redactorem, quae cuiusque propria esse solerent, commiscuisse dicunt. Wellh. 1876 p. 395 s. putat, 10, 5 verba „hi sunt filii Japhethi“ praeponenda esse, ut schema aliis versibus a scriptore expressum restituatur. Num autem, id supponi, necesse est? Et cur illa introducendi formula ipsa a redactore deleta esset? Porro potestne difficilius cogitari, auctorem ipsum eo quod v. 21 adderet a schemate suo recessisse, cum id addi eius minus quam redactoris interfuisse nos putare non liceat? p. 396 scribit „ילד 10, 26 ist dem R(edactor) zuzutrauen, welcher Vorstellungen und Ausdrücke beider Quellen kennt u. verbindet“; p. 397 iudicat, eidem auctori per totum caput ובני scribendum fuisse, neque eum ipsum aliis formulis uti potuisse; cf. denique verba „Parallele des Schlusses von v. 19 mit v. 30.“ Addit. I, 3.

Notio libertatis scriptorum. Tametsi iam supra id tetigimus, nunc accuratius quaeramus, qua in re libertas illa posita sit! Breviter dici licet, in adhibenda lingua, quamvis ex homine, animo et corpore composito, nulla meditatione adhibita, nascatur, illam hominis autonomiam efficacem se praebere, qua animalibus praecellit. Itaque homo non satis habet, compluribus dialectis vel ad loquendum vel, id quod facilius etiam fit, ad scribendum uti. Sed cum, spiritualis et liberi Dei imaginem, latiori sensu dictam, etiam post lapsum referens, animo agitet, quae ratio aptissime sententias inter et formam earum intercedere debeat: novas quoque et magis semper rebus adaptatas excogitat. Et simulatque ut in universum eorum quae possideat sic thesauri sui lingualis conscientia in eo experrecta est, eligere discit. Nunc mox scite ad orationis suae res formam perfectissimam conformat (perfectiorem quam

ut eligat res ipsae eum impellunt), mox, quasi aptiorem invenire non possit, imperfectam; mox verba ita contexit, ut animi conditionem fidelissime referant, mox vel prudentia et hypocrisi inductus eos celat vel, se ipsum cohibens, mitiori et pulchriori indumento circumvolvit.

Ad scriptorum libertatis notionem clarius explicandam fortasse quispiam illud exemplum longius exposuerit, quod p. 37 in medium protulimus. „Nonne disputantium duorum oratorum alter ad tempus eas formas evitare potest, quae alias ei in deliciis sunt? Nonne idem facere potest, etsi (cf. p. 21) uterque occasionem diutius et saepius de eadem re loquendi nactus est? Nonne etiam alter disputator ad tempus easdem locutiones praeferre et postea rursus repudiare potest? Itaque singula et pauca vocabula neque ubi audiuntur neque ubi desunt certum quendam oratorem indicant.“ Quid illi libertatis defensori respondendum est? Mihi quidem haec videntur: (1) Si propterea disputatores satis diu audiendos esse obiecerit, quia parvam biblicorum librorum amplitudinem in mente habebat, successu careat. Nam sententia, scriptorem, quia verba unius pusilli libri parva omnium ab eo per vitam adhibitorum pars sint, per totum librum verba ei adamata evitasse, mihi falsa esse videtur, quippe rationi et usui repugnans. Quamquam igitur scriptores biblici non ut Ciceroues multa volumina conscripserunt, hominis naturae psychologicae consentaneum est, eos, quibus consuetudinibus in loquendo indulserint, iisdem etiam in parvis libris componendis. (2) Si proprietates, quae primo tempore audiebantur vel legebantur, per longum spatium non redeunt, aut non revera auctori in deliciis sunt aut variandi causa eas spernit. Sed ne si hoc alterum fit quidem, libertate sua usus scriptor impediet, quominus eum recognoscamus; quoniam, eum aut per reliquam orationis vel libri partem easdem proprietates prorsus evitare aut omnes suas proprietates quasi vestem consulto exuere, ab omni verisimilitudine alienum est. (3) Audacius dictum est, vel a priore disputatore unam proprietatem nunc adhiberi, tunc evitari, postea rursus adhiberi, denique rursus evitari, vel ab altero eandem unam proprietatem fortuito adamari posse. Audacissime autem quispiam censuerit, vel ab eodem scriptore magnam proprietatum copiam

alternis vicibus electam et repudiatam, vel a duobus scriptoribus proprietates, quae alterutrius propriae sint, inter se permutatas esse. — Eiusmodi libertas, quae a philosophis informari potest a priori, in historia, qualis revera est, non invenitur, et qui sic scriptoribus summam, quam naturalem aestimat, libertatem vindicaturus est, summa servitute contra naturam eos devincit.

Cur sic respondimus? Quia nobis firmissime quidem (cf. p. 43 notam) persuasum est, absolutam libertatem homini etiam post lapsum relictam esse; neque autem minus firmiter, illam libertatem, quae per se absoluta est et omni temporis momento absolute agere potest, aliis rebus coerceri solere. Quin etiam addendum est, vitae hominis psychicae neque elementa neque actiones inter se disrupta esse, sed continuam seriem efficere. Id tetigerunt iam Eichh., Vat., Hasse, Kelle, Fritzsche [1]). Ew. 1823 inde quod processus psychologici et inter se cohaerent et ad novi quiddam progrediuntur, explicare studebat, cur idem diluvii narrator in alteris partibus unam, in alteris alteram describendi rationem sequeretur [2]). Stäh. parum luculenter, sed eximie Drechsler et Delitzsch ea de re egerunt [3]). Nec vero iis omnibus, quae modo diximus, hominis libertatem per se sive si quando vult absolutam esse negatur. Sed id tantum agnoscitur, libertatem, qualis esse **soleat** (aliam autem biblicorum auctorum fuisse, non statuendum est), 1) absolutam esse fere nunquam **velle**, 2) nihil prorsus novi creare, sed recentia ex prioribus formare. Quis autem propterea, quod libertas, architectonis similis, ex materiis iam praesentibus aedificia sua exstruit, nova et libertatis ipsius soliusque opera ea esse negabit? Et si quis libertatem conditionatam, i. e. a suo ipsius volendo dependentem, et ordinatam i. e. terminis circumscriptam dicit nullam esse et homini independentiam Dei, quamquam

---

1) Eichh. p. 53 ss.; Vat., p. 412—414; Hasse, p. 229. 231; Kelle, p. XL; Fritzsche p. 16. — 2) p. 114. — 3) Stäh. 1831, p. 32; Drechsl. 1838, p. 28 ss.; Del. Symbola isagogica ad psalmos illust. 1846, p. 27 annot. „Vix dicere poteris, quo consilio Jon. 4, 9 אַתְּ, non sicut v. 4. אַ scriptum sit, nisi quod hoc versu scriptor id ipsum nomen retinuit, quo in vv. praecedentibus usus est.“

is ipse odio mali se cohibet, tribui cupit: interrogamus eum, nonne leonem deserti liberum existimet, quamquam eius vel cupiditas persequendi interdum latitudine fluvii vel appetitus devorandi mensura necessitatum suarum coercetur. Quibus ultimis verbis timor simul remotus est, ne libertas scriptoris vim argi. phil radicitus eversura sit.

Termini libertatis scriptorum. Ac primum quidem rerum exprimendarum diversitate animum moveri, ut alia vocabula eligat, p. 17 ss. fuse expositum est. Ibidem non tacuimus, discrimina, quae a rerum discrepantiis originem ducant, neque illo neque ullo argi. phil. loco adhiberi posse. Prorsus autem aliud est, varietate rei describendae scriptorem adduci, ut hic ibi alio dicendi genere utatur, grammaticae formas obsoletas in lucem protrahat, alio colore enuntiata intingat atque inter se coniungat, rhetoricas denique figuras vel crebrius vel rarius immisceat. Sed priusquam concedi possit, alia materia mentem scriptoris ductam esse: id ipsum demonstrandum est, materiae genus aliud factum esse.

Quod cum plerumque fieri nequeat, dixerunt, a scriptore propterea formam mutatam esse, quod alias libri partes alium ad finem assequendum scripsisset. Nemo id fortius asseveravit et dilucidius exposuit, quam Hoelemann 1862 dissertatione, quae diligentissime expendatur, dignissima. Tantum anim abest, ut Geos. varias partes secundum formam distingui posse neget, ut, quibus in rebus discrepent, accuratissime et luculentissime descripserit. Novam autem viam rei explicandae ingressus est. Negat enim, illam narrationis varietatem a personarum diversitate profectam esse, sed ad varium, quem unicus auctor sibi proposuerit, finem conformatam esse. Scilicet eundem auctorem apud se constituisse, ut totam rerum narrandarum copiam duas in partes separaret et, quae mundi ac totius generis humani historiam spectarent, iis suppleret, quae populum electum et revelationem. Atqui haec illis magis cor humanum commovere et magis nova, specialia, versicolora esse; num igitur mirum esset, quod aliam novam formam prae se ferrent? — Cum autem neque, auctorem in Gi. conscribenda omnes res in generales et speciales digessisse, neque inde discrimina linguae promanasse, ostendi possit: ne Hoelemanno quidem contigit, ut difficultatem removeret.

Nisi autem fine, quem ut assequeretur scriptor sibi proposuerit, commotus est, ut totam narrationis indolem mutaret, nonne speciali desiderio impelli potuit, ut aliqua ex parte eam transformaret? Nonne quis id agere potuit, ut res iampridem gestas etiam vocabulis antiquis exprimeret?[1]) Quod fieri potuisse, nemo infitietur; sed minimae materiei partis auctoritem eo labefactari, elucet. — Nec multo maiorem ad partem alius impulsus pertinet, quo scriptoris animus commoveri potest; sensus dico et affectiones, quibus cogitandi actus modo accelerantur modo retardantur, modo huc illuc rapiuntur modo eidem lineae alligantur. An aliud quidquam ea re effici potest, quam ut ex genere vel altori vel inferiori vocabula eligantur, enunciationum membra singulari modo collocentur, enunciationes ipsae et vividius exornentur et more insolito aliae ex aliis nectantur?

Cum causae hucusque allatae ad scriptoris conscientiam pertineant, harum, quae nunc sequentur, non conscius est; non autem magis illae aperte, quam hae occulto operantes, libertatem coercent. Ab internis ad externas progredientes, hanc alteram causarum classem persequemur.

„Vi inertiae“ scriptorem adigi, ut, quae notiones et significationes animi eius propriae sint, identidem repetat, exemplis monstratur, cf. שׁמיר ושׁירת (quod Nägelsb. neglexit) septies apud Jes. nec vero ullo alio loco occurrere. Si igitur in libro quodam eadem inveniuntur, maxime naturae convenit nos concludere, ea ad eundem referenda esse. Neque aliam ab causam quam unius cuiusque mentem vinculo unitatis circumligatam esse statuens, Ewald 1864[2]), quae raro occurrerent et antiqui temporis indolem referrent et obscura essent, ex antiquis fontibus hausta esse iudicavit. Iisdem autem seriem quamque verborum parum claram ex. c. Gn. 20, 16 obtrudens, oblitus est, etiam a scriptore satis exercitato et diligente interdum enunciationem ambiguae interpretationis construi posse. Hgstb.[3]) contra libertati nimis tribuit. Quia enim Gesenius et Baur Tubingensis semel falsum de scripti cuiusdam origine iudi-

1) v. Leng. 1844 p. LXXXVII; et fere eadem verba Ew. 1864 p. 138. — 2) p. 98. 99 Anm. — 3) Auth. I. p. LXIV ss. Anm

cium tulerant, concludit, interna testimonia semper fallacia esse; et quia Fichte sen. contenderat, se idem argum. sex modis persequi posse, non disquirit, utrum vere, etiam re sibi proposita (id quod biblici auctores non fecerunt) scriptor stilum prorsus mutare possit an suas quisque proprietates sequatur, quae ex universa eius indole emanantes et consuetudine confirmatae quasi in naturam eius abierunt. Quodsi Hgstb. suadet, omnibus viris criticis, priusquam sacrarum literarum fontes discernere audeant, in nostrae aetatis scriptis iudicandis facultatem auctores variorum librorum dignoscendi expromendam esse: id nimis arduum non videtur, nam ex. c. omne Ewaldii scriptum me dignoscere posse haud temere affirmare mihi videor. — Si porro psychica hominis natura, cf. p. 32, fert, ut notiones et expressiones eius inter se cohaerentes et multifariam complexae unam firmam massam efficiant: quid rationali eius indoli magis convenit, quam eum id agere, ut per totam vitam idem semper esse videatur? Num igitur licet sumere, ea ipsa fortuito fieri potuisse, quae naturam humanam maxime laedunt? An quo alio praeter Geos. exemplo comprobatur, scriptorem quendam alteram capitum libri seriem [1]) illo, alteram [2]) hoc stilo alternis exarasse? Et cur per libros, qui certo integri unico scriptori debentur, eiusmodi discrimina, qualia inter primos 4 Penti. libros et Deut. intercedunt [3]), non sparsa sunt? — Immo illud „le style c'est l'homme" argumentis satis firmis nititur. Nam licet scribendi genera Lessingii, Schilleri, Goethii variis in eorum scriptis et a typo eorum proprio recedant et ad similitudinem aliam accedant: certum genus ab unoquoque excultum esse et certas eius notas in omnibus scriptis occurrere, negari non potest. Nec magis eiusmodi typus in Jes., Jer., Hes., ceterorum libris desideratur.

Deinde nec res nec formas plane novas mens humana sibi excogitare solet, sed illas ex elementis iam exstantibus, has ab aliorum exemplis discere. Sane aliae linguae partes aliis maiore vi scriptoris libertatem coercent. Nam formis artefactis (cf. p. 21 s. 34 s.) ea facultas non inesse videtur.

---

1) ex. c. 1. 5. 9, 1—17; 11, 10—32; 17. 23. — 2) 2. 3. 18. 19. 24. — 3) Curtiss, 1877, p. 182 s.

Porro auctor ad formas, quae ab aliis semel vel raro usurpantur, semper usurpandas non ipse se adstringere videtur. Quia autem simul cum scriptoris indole psychologica etiam animi proclivitas eiusmodi formarum et fingendarum et adhibendarum manere solet, ne a se ipso quidem scriptor independens est. Itaque ad recognoscendum eundem auctorem illae quoque formae observandae et tanquam vestigia premenda sunt, quae ad eiusdem leonis caveam ducunt.[1]) — Si porro inter linguae testimonia spectamus lexicalia, tria fieri possunt. (1) Memoriae proditum esse potest, nomen sive significationem posterius, quam usurpata essent, nata esse[2]); tum id ad argum. ex rebus sumptum pertinet. Eodem spectat, si certo ostendi potest, rem vel notionem aliquam posterius ortam esse; quia significatio eius non potest prius exstitisse.[3]) (2) Significatio, etsi non diserte posteriori tempore orta esse traditur, omnino ab auctoribus posteriorum temporum adhibita esse potest. Tum plena certitudine contendi non potest, eam priori aetate iam cognitam fuisse. (3) Si cuius rei significationes complures apud scriptores diversae aetatis vel eiusdem aetatis obveniunt, paene audebimus affirmare, eum, qui saepe alteram praeferat, nunquam altera usum esse. — Porro grammatices formae, quo minus cogitationi debentur (cf. p. 19. 30), eo firmiori vinculo liberam scriptoris mentem constringunt. Ne plura repetantur, hoc unum quaeramus, num ילד et הוליד secundae classium, in quas modo lexicalia indicia digessimus, adnumeranda sint. Concedendum id esse, iudicamus. Nam, quando nomina propria nata sint, dissertis testimoniis traditur. Quando autem appellativa et formae gram. orta sint, cognosi non potest, nisi inde quod in libris inveniuntur. Quodsi הוליד paene iam una cum ילד usu venisse potest, quanto minus idem auctor utraque coniugatione usus

1) Parum igitur recte Kleinert p. 151: „חבר kann, da e. i. dies. Bedeutg. nur noch ps. 58, 6 sich find., für die Krit. n. and. wie e. hapaxl., also gar nicht i. Betracht kom.“ — 2) Jam Masius 1574 p. 2 (Hebron); Bonfrerius 1625 p. 93 (Hebron, Dan); cf. Bethel (Lus) Rcht. 1, 23; Dan (Leschem) Jos. 19, 47; (Lajisch) Rcht. 18, 29; Hebron (Kirj.-A.) Jos. 14, 15; Horma (Nm. 14, 45; Rcht. 1, 17). — 3) Ea re nititur, quod Baudissin explicuit Schür. Theol. Ltrz. 1876 contra Kuenen.

esse potest? Nam etsi hoc per se fieri potest; attamen (cf. p. 50 de perseverantia in variando) si observatur, eum in alteris partibus simul cum aliis proprietatibus semper illa, in alteris semper hac coniugatione usum esse: tam non verisimile est, ut negandum sit. — Denique si p. 21 s. 34 recte expositum est, syntaxeos, rhetorices, universae disserendi rationis leges non solum minus ex singulorum auctorum quam ex linguae ingenio profluere sed etiam consuetudine in uniuscuiusque animo inveterascere et obdurescere: concedetur, id iugum a scriptore vel nunquam vel varo excuti posse. Quam firmi fines sint, intra quos ea elocutionis elementa, etsi nullis vinculis alligata esse videntur, se movent et variant, re diligenter observata nemo infitietur. Quae vincula vel non vel non ita facile disrumpi, inde potissimum elucet, quod saepe, quando aliae lexici vel grammatices proprietates desunt, ex stilisticis notis et tota dissertationis indole auctor cognosci potest.

Quis porro est, quin ipse expertus sit, se iis regi et impelli, quae ipse antea vel scripserit vel legerit, et quidem vi eo maiore, quo magis illae res eius interfuerint? Cf. ea de re Riehm 1872, Kays., Curtiss, Godet, Wold. Schmidt. [1]) Quamobrem non sine omni iure ex. gr. Schrader, introd. p. 293 censuit, vocabulum אחזה ab Jha. Nm. 32 (cf. p. 40) ex Elae. dictione depromptum esse. Intra enim eiusdem libri fines cooperatorem aliquam alterius vocem et formulam facere suas, quandoquidem in eo iam leguntur, magis naturae consentaneum est, quam alio in libro singulas formas repeti ab aliquo. — Facilius etiam concedetur, scriptoris liberum motum idcirco coerceri, quia eum in finem scribit, ut ab aliis scripta intelligantur. Neque opus est, ut id longius explanetur. Quis enim formas lexici aut grammatices protrahat, quae linguae peregrinorum vel suae gentis periodi iampridem praeteritae sunt? Quis in enunciationibus construendis usum popularium prorsus spernat? — Alia regula inde hauriri potest, quod scriptor, quia facile quisque intelligi vult, eas formas eliget,

1) Riehm, Stud. u. Kr. 1868 p. 371; 1872, p. 287; Kays. p. 138. 140; Curt. 1877 p. 73; God. Com. in Joan. I. p. 168; Schmidt, Epheserbr. p. 24 s., imprimis p. 34 Anm.

quas lectores ipsi saepissime adhibent et libentissime audiunt. Ea autem regula minus certa quam praecedens est, quia nullo tempore defuerunt, qui lectoribus impedimenta praeberent et aenigmata orationi insererent.

Postquam ostendimus, quibus modis libertas scriptorum vel conscientia vigilante vel dormiente vel a se ipsa vel extrinsecus coerceatur: eam duobus vinculis minus recte adstrictam esse addimus. Scilicet si multi contenderunt, [1] suam cuique historiae periodo consuetudinem scribendi attribuendam esse et omnes unius periodi scriptores eâ regi, libros autem aliam indolem referentes illi periodo abiudicandos esse: ego quidem assentiri non possum. Nam ut non omnes periodi classicae, quae dicitur, auctores ad idem fastigium ascendunt, sic scriptor alius periodi classicos aequiparare potest. — Aliud est contendere, illa lege aliquem verisimilitudinis gradum effici. Negari enim non potest, prophetas Jeremiam praecedentes poetas aemulatos esse, Jeremiam autem ipsum et qui eum secuti sunt fere omnes [2] pedestri oratione usos esse, quare in horum scriptis fluxum celerem, colorem vividum, brevitatem nervosam, indolem audacter et pulchre metaphoricam desiderari. Atqui, quotiescunque Penti. partes convellimus et tum totum ambitum rursus contemplamur: extemplo et sua sponte iudicium nascitur, iehovisticas prophetis antiquioribus, elohisticas iuvenioribus similes esse. Ergo verisimile esse dici licet elohisticas aetate recentiori ortas esse.

Neque autem magis, quam literas populi cuiusquam recto cursu progredi, ea sententia nobis probata est, omnino et sine ulla exceptione ab imperfectis rudimentis eas initium capere vel potius imperfectis speciminibus nobis conspicuas se praebere primum. Nonne per se etiam iuvenili aetate populus in aliquo literarum genere excellere potest, ut singuli homines in primo opere (non quod omnino faciunt, sed quo primum oculis mundi se exponunt) plus ingenii et artis exhibere possunt, quam in subsequentibus? Nonne igitur factum esse potest, ut libri, qui ad nos manserunt, vel omnino prima populi opera vel saltem prima perfectiora opera essent?

---

1) ex. gr. Nägelsb. Jes. p. XXVII. — 2) sed cf. Habacuc.

Quare quae Riehm [1]) exposuit non satis recte se habere existimo.

b) Pervenimus nunc ad obiectionem exponderandam, antiquiorum imitationi posteriores indulsisse atque etiam studuisse. Quae obiectio eo melius stabilita esse videtur, quo pluribus et praestantioribus semper usque ad nostros dies viris probata erat, et quo minus, si v. Bohlenium exceperis, a quoquam impugnata est. [2]) Nihilosecius autem necesse esse mihi videtur, fines illius sententiae caute iis cancellis circumscribi, quos, quicunque quaestionem natura ipsa et historia literarum duce examinaverit, inveniet.

Ergo quaeritur, quibus solis conditionibus aliquis priora imitari possit? Eaedem sunt, quae libertatem scriptorum coercere solent. Nam ius imitandi nihil aliud est, quam liberi scriptoris ius formarum praeteritae aetatis formis suae ipsius anteponendarum. Absolute igitur non posse factum esse, ut aliquis prisca repristinaret, non magis demonstrari potest, quam auctorem libertate carere. Omnes enim voces, flexiones consuetudines syntacticas ex antiquioribus libris desumptas intelligi potuisse, idcirco sumendum est, quia constat, omnes V. Ti. libros hebraice scriptos toti Israelitarum populo patuisse, dum aramaica lingua hebraicae provinciam inundavit. Aliud autem est, de relativa imitandi facilitate quaerere sive quo gradu verisimilitudinis sumi possit, vel multas vel paucas linguae superioris periodi formas libro immixtas esse, cuius universa indoles recentioris temporis est. Nonne, si naturam rei et humani animi ducem optimam tutissime sequimur, inconcussa praesumptio est, suae quemque aetatis formis scriptorem populares alloqui? Ne igitur, nihil quaerentes nisi quid per se et abstracte et theoretice fieri potuerit, res naturae

---

1) Stud. u. Krit. 1872, p. 294. — 2) Facem praetulit Eichh. p. 190—193; Hgstb. 1833 col. 350. 353. 355 s.; v. Leng. p. XCVIII. CXV.; Del. 1852 p. 26 s. 391 s. (= 1872 p. 30. 60); Knob. Krit. p. 516; Riehm Stud. u. Krit. 1868 p. 370; 1872 p. 288; Schrad. 1869 p. 331; § 192, 1) a) p. 340. 394; Del. preface to Curtiss 1877 p. XIII. XIV; Curtiss ibid. p. 72; Bleek-Wellh. p. 174, „bei der Chron. mögen sie allerd. zum gr. Th. auf Reminiscenz beruhen"; aliter autem Geschichte p. 397 ss. praec. 403 init.; Ges.-Kautzsch § 90, 3, b.

contrarias ducamus ei consentaneas! [1]) — Quoties tandem, qui inter aequales nostros Lutherum maxime admirantur eiusque scripta sedulissimo perlegerunt, formas illius linguae imitantur? Nonne raro vel nunquam? Sane quando locos Bibliorum vel catechismi laudamus, formam eorum propriam retinemus (et quis est, qui ignoret, quantopere ea quoque sensim linguae continuo se mutanti adaptata sit?) nec minus historici in fontibus rerum traditarum indicandis interdum indolem pristinam servant; sed ut aliquis singula Lutheri nomina vel formas grammaticas orationi inserat, vix ac ne vix quidem fit. Num igitur statuere licet, apud Hebraeos posteriori hitoriae tempore idem tam saepe factum esse? Sed supra dixi, inde non certitudinem sed verisimilitudinem effici, nec mihi videor eam quaestionem diremisse, sed pro virium modulo ante oculos virorum criticorum posuisse. — Ut explicaret, cur exilicorum et postexilicorum demum librorum multa cum Pento. consentiant, iam Häv. p. 182 commemoravit, eodem demum tempore populum omnem suam vitam ad leges Mosis conformasse. — Non perfecte intelligo, quid Kleinert p. 214 s. verbis obscuris „Bei der bibl. Literatur — zusammenzuwerfen“ sibi velit; sed puto eum contendere, libros religiosae indolis, quae eius sit stabilitas in variatione, facilius quam alios posse videri ex imitatione fluxisse. Eam autem stabilitatem nisi parvam lexicalis materiei partem nihil spectare, ergo non ad totum lexicon, nedum ad grammaticen et rhetoricen pertinere, manifestum est. — Hic conferas Graf 1866 p. 3; Riehm 1868 p. 357; Merx 1871 p. CVI; Riehm 1872 p. 288; Kays. p. 136. 166 ss; nam ibi de terminis technicis, iuristicis ct. loquuntur.

c) Denique praesumunt, lingualem cuiusque scriptoris thesaurum certis et inaccessis muris circumvallatum esse. Diserte quidem nemo usquedum hanc praesumptionem attulit, sed ea tanquam fundamentum demonstrationi subiacet.

---

1) ex. gr. חבדיל saepe ap. Esram; estne verisimile, eum, ut cogitationem tritissimam exprimeret, ex antiquis libris verbum mutuasse? Etiam 1 Chr. 12, 8 (non ex veteribus fontibus haustum); 23, 13; 25, 1; 2 Chr. 25, 10; כבש Jer. 34, 11. 16; Neh. 5, 5; 1 Chr. 22, 18; 2 Chr. 28, 10; צוה cum ל vel על Neh. 9, 14; 1 Chr. 22, 12; 2 Chr. 7, 13; 15, 3; 19, 9; רדה Neh. 9, 28; משל v. 32.

Quoties enim a criticis negatum est, scriptorem ad ea provocare, iis alludere posse, quae non ipse tradidisset? Nonne autem narrationum res ex communi populi traditione, forma ex communi totius populi linguae promptuario haustae sunt? Nonne igitur rerum, quae ab altero literis mandatae sunt, alter scriptor materiam et formam tangere potuit, et id quamquam libri illarum narrationum non ante eius oculos positi erant? — Si radicem illius axiomatis quaerimus, iudicandum est, ex falsa consuetudine res veterum vita et cohaerentia destituendi ut alios errores sic hunc quoque natum esse, suam quemque autorem linguam ipsum sibi creasse neque ex vivo populi linguae flumine mutuasse, ita ut alius iisdem formis uti non potuisset. Nescimus an rem illustremus, si huncce in modum aliquem disputantem fingimus: „Legimus in variis fontibus primum patriarcham ante circumcisionem institutam Abrami, post eam Abrahami nomen gessisse, nec minus in duplici uxoris compellatione conveniunt, cf. 17, 5. 15; 18, 6. Non minus quam, ut in illa re concinant, non factum est nisi quia vel redactor omnes res inter se coniunxit vel saltem omnes posteriores narratores eisdem scriptis monumentis usi sunt: consensus formalis nasci non potuit, nisi quia vel redactor omnia ad suum ipsius modum conformavit vel communia ex antiquis literarum monumentis deprompta sunt.“ Nonne, si ita viva traditionis vox negligeretur, viri docti queri possent, illa conclusione naturalem rerum decursum deleri et res antiqui temporis, quasi vita et connexu carerent, considerari?

Sin autem exempla quaeris, quibus illa praesumptio inest, haec habeas! Contra Knob.: Inde quod Gn. 7, 2. 8; 8, 20 animalia pura et impura secernuntur, non certo coniicere licet, illos versus non ab Ela. scriptos esse. Nam illas duas classes a sacerdotibus distingui, ne Ela. quidem nescivisse potest, quamquam (alibi) ante legem Mosis latam earum non mentionem fecit. Porro formae ut תּוֹדָה 24, 65 non a scriptore effictae, sed adhibitae sunt; ergo per se sumere licet, eandem formam alio loco etiam alii scriptori in mentem venire potuisse. Quid sequitur? Ex illa forma nullum momentum repetendum esse, quo movemur, ut ad 37, 19 „apud eundem auctorem“ adnotemus. — Contra Nägelsbach ad Jes. 55, 13 „נִעֲצוּץ nur noch 7, 19, also ein ganz jesaianisches Wort.“ Si illis verbis opinio

subiacet, illud vocabulum ab Jesaia creatum esse, reprobandam eam esse existimo. Nonne enim idem illud vocabulum crebro viva voce adhibitum esse potest?[1]) — Nec magis, quam omnia vocabula vel raro vel semel occurrentia ab auctoribus efficta sunt, omnia sunt antiquioris linguae periodi, sed ea esse possunt, quae rem accuratissime, fortissime, pulcherrime depingunt. Et verisimile est, eadem ab aliis et loquendo et scribendo ad easdem res significandas electa esse; etsi neque ullo tempore neque apud ullum populum omnium erat, aptissimis quibusque significationibus uti, cf. vel naturalium rerum vel regionum vel imaginum descriptiones, quae ab hominibus rudibus confectae sunt, cum iis, quae ab hominibus illarum rerum gnaris.

Conclusio.

Ad ea maxime, quae de argi. phil. natura et vi disseruimus, retrospicientes, ea sic breviter comprehendere possumus. Invenimus positive, testimonia linguae, utpote quae non ex meditatione sed caeco impetu nascitur et corporali exercitatione animique cohaerentia obfirmatur et certus hominis character fit, probe idonea esse, quae, vel exclusive vel longe creberrimo ab altero praelata ab altero repudiata, personarum, a quibus edita sint, aetatem et numerum indicent. Cognovimus negative, nec parva copia aut dubia qualitate discriminum aut indole manuscriptorum nec scriptoris natura psychologica vim eorum ad nihilum redigi.[2])

---

1) Nec temere traditioni multum tribuere nobis videmur, cf. Ex. 12, 26 ss.; ps. 78, 3—6; 102, 19. — 2) Fine libelli „Zur Frage über die Aechth. v. Jes. 40—66, ein real-kritischer Beitrag“ scripsit Löhr: „Mithin dürfte nichts im Wege bleiben, unser Buch dem Proph. Jes. zuzuschr., da die aus Verschiedenheit der Rede erhobenen Einwände nachgerade wohl jedes Recht verloren haben dürften, überhaupt noch beachtet zu werden.

Additamenta, praecipue ad pag. 38.

I. Specimina eorum, quae de Geneseos vario dicendi usu collegi.

1. Ex doctrina de formis.

Utrum suffixa cum verbis coniuncta sint necne.

1 coni. 28 / sep. 17. 22. 27 (bis) 28 ; 2 coni 15. 22 / sep. 3 ; 3 coni. 11. 13. 15. 17 (bis). 21. 23. / sep.

4 c. 8. 14. 25 / s. 14 ; 5 c. 2. 29 (bis) / s. 1. 2. 24 ; 6 c. 7. 16 (bis, ap. verba ל״ה) / s. 14. 15. 12 (צוה אתו)

7 c. 5 (צוהו) / s. 1. 16 (צוה אתו) ; 8 c. 9 / s. 9 ; 9 c. 5. 16 / s. ; 11 c. 9 / s. 8 ; 17 c. 5 (נתתיך). 6 (idem). 16. 20 (bis). / s. 6. 16. 20 (ter).

18 c. 19 / s. ; 19 c. 13. 16 (bis). 19. 34 / s. ; 23 c 9. 11 (bis).

2. Ex syntaxi.

a) de attributis numeralibus.

Minor numerus praecedit.	Minor num. sequitur.
5+60 5, 15; 5+90 5, 17; 5+60 5, 21; 7+20 8, 14; 5+30 11, 12; 4+30 11, 16; 2+30 11, 20; 9+20 11, 24. 30+300 etc. 5, 3. 6. 7—25; 7, 24; 8, 4. 13; 11, 13—32	90+9 17, 1. 24; 70+7 4, 24; 5, 5; 6, 3; 9, 28. 29; 23, 1.

מאת 5, 3. 6. 18. 25. 28; 7, 24; 8, 4; 11, 10. 25; מאה 6, 3; 17, 17; 23, 1.

b) de colore orationis.

והנה 1, 31; אף כי mirantis et indignantis „adeone?“ gar?“ 3, 1; מה־זאת 3, 13; הן 3, 22; ועתה 3, 23; הלא 4, 7; ה 9, מה 10, ועתה 11, הן 14; הנה 17, 4, ה 17, לו 18, הנה 20; מה rhetorice interrogantis 23, 15 (לו v. 13

in כי mutandum et אתה cum Hitzig. a verbo אות 34, 15. 22. 23 derivandum); והנה 18, 2, אם־נא 3, לא־נא ibid., נא 4, a cohortativi 5, כי־על־כן 5, litotes פת־לחם 5, הנה 9 'וה 10, למה זה cur tandem13, quaestio mirantis 12. 13. 14, a cohort. et נא 21, הלילה 25, הנה־נא 27. 31, אל־נא 30. 32, a cohort. 30. 32; הנה־נא 19, 2. 8. 19. 20; נא 19, 2, אל־נא 7. 18, נא ap. coh. 8. 20, עתה 9, קומו 14. 15, וירא והנה 28, etiam apud alios, לכה age! 32, הן 34.

3. De rhetorica indole.

Ex gr. quod attinet ad studium variandi descriptionem.

Id ab auctore primi capitis non tam abest, quam primo obtutu videatur, cf. praeter singulas notiones triplicem rei describendae modum: I) v. 3, ubi non „et factum est ita“, sed, quia non minus brevis erat locutio, scriptum est „et facta est lux“. Illud abest etiam v. 20. 26. II) v. 9. 30, ubi, voluntatem Dei factam esse, his tantum verbis „et factum est ita“ significatum est. III) v. 11. 15. 24, ubi praeter eadem verba etiam peractio voluntatis ipsa adiecta est. Cf. porro, in 4. diei operibus describendis nomina ipsa circumscriptione permutata esse; fines, qui astris assequendi sint, v. 17. 18 ordine alio ac v. 14. 15 commemoratos esse. Porro „copia scatens“ v. 20 deinde in procera et repentia (parva) aquatilia divisa est. Variandi causa v. 25 domicilium reptilium (terrae) אדמה appellatum esse videtur, v. 26 statim rursus sequitur על־הארץ. Praeterea series eorum, quae Deus voluit et quae fecit, v. 24. 25 duabus partibus, v. 26 tertia parte mutata est. „Longa aquatilia et minora aquae animalia“ v. 26 nomine דגה comprehendit. Locus piscium v. 22 maria, v. 10. 26. 28 mare. Porro solummodo ubi primum (v. 4) et ultimum (v. 31) וירא invenitur, obiectum additum est, neque autem 10. 12. 18. 21. 25. Denique cum sex primis locis enuntiatio obiectiva כי coniunctione annectatur, septimo והנה adverbio. —

Quae cum ita sint, num Schradero 1863 permissum erat, varietates supra enumeratas non primo capitis auctori sed posteriori tribuere et affirmare, primum auctorem scripsisse (1) octies „et bonum erat“ scil. etiam v. 7 pro iis, quae nunc ibi leguntur „et factum est ita“; (2) „et factum est ita“ etiam in opere peragendo sexto et octavo nec vero post omnia opera peracta; (3) etiam quarto die nomina dedisse; (4) etiam v. 25 animalibus terrestribus benedixisse?

Non; nam supra intelleximus, quam recte Keilius in describendo secundo et quinto die studium concinnitatis, *συμμετρίας* (Schrad. p. 5) desideret; porro Ela. non tantae est copiositatis et diligentiae (Schrad. p. 15), ut (non dicam cum Tuchio schematis sui non potuerit semel oblivisci)

instar machinae omnia ita depinxerit, ut mathematice inter se concinant. Itaque ut Schradero adstipulemur, nulla alia causa suadet, nisi quod „et factum est ita“ v. 7 aliter ac reliquis locis et pone „et fecit“ et „et separavit“ superflue videtur positum esse; sed his satis ponderis non inest. Denique ne LXX viroum quidem auctoritas nobis persuadere potest Nam etsi credi posset, „et erat bonum“ v. 7 omissum esse; cur tandem „et factam est ita“ ad lacunam sic factam explendam loco suo motum esset? Numeri enim 6 dies, 8 opera, 7 et erat bonum, 7 et factum est ita, 3 et nominavit, 3 et benedixit parum oculos nostros stringunt et alliciunt, ut eorum causa illa transpositio facta esse possit.

Quamobrem Nöld. 1869, p. 7 recte „sehr bezweifelt, dass wir berechtigt sind, die Durchführg. des Parallelismus so bis ins Einzelne zu verlangen“. Nihilosecius Wellh. 1876 p. 395 ss. Schraderi exemplum imitatus est, cf. p. 45.

Sed haec hactenus; Deo volente non ita multo post omnem materiam, quam collegi, viris criticis proponam.

II. 1. Quomodo ילד et הוליד usurpentur apud nonnullos posteriores.

ילד 1 Chr. 1, 10 (ex Gn. 10, 8); v. 11 (10, 13); v. 13 (15); 18 (24); 20 (26); v. 32 evitavit ילד Gn. 25, 3. — הוליד cap. 5. 11 Geneseos brevitatis causa I, 1, 1—3. 24. 25 evitatum est; sed legitur v. 34 ut Gn. 25, 19; 2, 10—13 ut Ruth, 4, 18—22; neque ullum priorem locum imitans scripsit הוליד 2, 18. 20. 22. 36—41. 44. 46; 4, 2. 8. 11. 12. 14; 5, 30—40; 7, 32; 8, 7—9. 11. 32—34. 36 s.; 9, 38—40. 42 s.; 2 Chr. 11, 21; 13, 21. — ילד de patre, ps. 2, 7 cf. Thes. s. v. et praet. Hos. 5, 7; Hiob 38, 28 s.; Koh. 5, 13; 6, 3; etiam קטר et הקטיר Wellh., Gesch. p. 68; sed הוליד solum usurpatur apud Jer., cf. **praecipue** 16, 13; 29, 6; 30, 6 שאל־נא וראו אם־יֵלֵד זכר „num **pariat** mas“; Hes. 18, 10. 14; 47, 22. Ea mihi quidem per se manifesta esse videntur. Nam neque quaeritur, num Israelitae posterioris aetatis intelligere potuerint, quid illud ילד antiquiorum annalium de mare sibi vellet, neque, num Kal et Hiphil idem significare possint (nam id tritum atque celebratum est, cf. Del. p. 252, et imprimis Nägelsb. Gram. p. 44); sed, num altera illarum duarum formarum exclusive una certa linguae periodo usurpatum sit. — **Quare Elae. librum posteriori aetati quam Jhae. adscribo.**

2. Item, quomodo numeri compositi sint in partibus, quae Chronistae propriae sunt:

Minor numerus antecedit.	Minor numerus sequitur.
1 Chr. 24, 17. 18; 25, 28—31; [2 Chr. 1, 17 = 1 Kg. 10, 29; 2 Chr. 8, 10 cf. 1 Kg. 9, 23]; 2 Chr. 36, 2 contra 2 Kg. 23, 31.	2, 22; 3, 4; 5. 18; 7, 2. 4. 5. 7. 40; 9, 9; 12, 34. 35; 16, 38; 23, 3. 4; 25, 7; 26, 8; 27, 1. 2. 4 ss.; 2 Chr. 3, 15; 7, 10; 11, 21; 15, 19; 16, 1. 12. 13; 21, 20 (sane repetit v. 5, qui etiam 2 Kg. 8, 17 legitur); 24, 3.
Hes. 40, 21. 25. 33. 36; 41, 6; 45, 1. 3. 5. 6. 12; 48, 8. 9. 10. 13. 15, 21; cf. v. 17. 16. 30 ss.	8, 16; 11, 1; 29, 17; 40, 1. 13. 29.

III. Nonnullae proprietates Jeremianae, quae doceant, proprietates auctorum revera inveniri.

השכם cum inf. verbi (iam Ges. in Thes.) 7, 13. 25; 11, 7; 25, 3. 4; 26, 5; 29, 19; 32, 33; 34, 15; 35, 14; 44, 4.

עלה על לב 3, 16; 7, 31; 19, 5; 32, 35; 44, 21; 51, 50.

חרב רעב דבר 14, 12; 21, 7. 9; 24, 10; 27, 8. 13; 29, 17. 18; 32, 24. 36; 34, 17 (ח' ד' ר'); 38, 2; 42, 17. 22; 44, 13 (idem ordo ap. Hes. 6, 11; 7, 15b; 12, 16; alius ordo 5, 12. 17; 6, 12; 7, 15a; 14, 13. 17; 19, 21).

הדיח de expellendo populo in exilium 8, 3; 16, 15; 23, 2. 3. 8. 12; 24, 9; 27, 10. 15; 29, 14. 18; 30, 17; 32, 37; 40, 12; 43, 5; 46, 28; 49, 5. 36; 50, 17 (nunquam eadem significatione apud Hes. [נדח 34, 7. 16 in alio contextu], sed pro eo semper הפיץ etiam coni. cum זרה, pass. נפוץ, cf. 29, 12; 30, 23. 26)

השקה מי ראש 8, 14; 9, 14; 23, 15.

נתן לקללה וג' 24, 9; 25, 9. 18; 29, 18; 42, 18; 44, 12. 22; 49, 13.

Synonyma vocabuli irae 7, 20; 21, 5; 32, 31. 37; 33, 5; 42, 18; 44, 6; חרון אף inde a 4, 26; וחמה אף inde a 7, 20.

פנה ערף ולא פנים 2, 27; 32, 33.

משובה 2, 19; 3, 6. 8. 11. 12. 22; 5, 6; 8, 5; 14, 7; populum et deum esse 7, 23; 11, 4; 24, 7; 30, 22; 31, 1; 32, 38; vox gaudii etc. 7, 34; 16, 9; 25, 10; 33, 11.

מבקשי נפש 4, 30; 11, 21; 19, 7. 9; 21, 7; 22, 25; 34, 29; 38, 16; 44, 39 (bis); 46, 26; 49, 37; הטה אזן 7, 24. 26; 11, 8; 17, 23; 25, 4; 34, 14; 35, 15; 44, 5.

מגור מס' 6, 25; 20, 3. 10; 46, 5; 49, 29.

לקח מוסר 2, 30; 5, 3; 7, 28; 17, 23; 32, 33; 35, 13.

שרוּת לבם (הרע) 3, 17; 7, 24; 9, 13; 11, 8; 13, 10; 16, 12; 18, 12; 23, 17.

נפל תחנה לפני פ' et הפיל ת' 36, 7; 37, 20; 38, 26; 42, 2. 9.

והיתה לו נפשו לשלל (ap. solum Jes. quater, cf. Thes. p. 1429) 21, 9; 38, 2; 39, 18; 45, 5.

הפנה 46, 5. 21; 47, 3; 48, 39; 49, 8. 24.

נוד 4, 1; 15, 5; 16, 5; 22, 10; 31, 18; 48, 17. 27; 49, 30; 50, 3. 8.

הוביש pudore affectus est 2, 26; 6, 15; 8, 9. 12; 10, 14; 46, 24; 48, 1. 20; 50, 2 (bis); 51, 17.

חתת 1, 17; 8, 9; 10, 2; 14, 4; 17, 18; 21, 13; 23, 4; 30, 10; 46, 5. 27; 8, 1. 20. 39; 49, 37; 50, 2 (bis). 36; 51, 56.

שדד 4, 13. 20. 30; 5, 6; 6, 26; 9, 18; 10, 20; 12, 12; 15, 8; 25, 36; 47, 4 (bis); 48, 1. 8. 15. 18. 20. 32; 49, 10. 28; 51, 48. 53. 55. 56.

כיולדה 6, 24; 49, 24; 50, 43, cf. 13, 21; 22, 23; 30, 6; אשה מצרה 48, 41; 49, 20.

איד 18, 17; 46, 21; 48, 16; 49, 8. 32.

Theses.

I. Nehem. 5, 2 pro רבים legendum est עבדים.

II. ונשאתם Amos 5, 26 ex. imp. et impf. v. 23. explicandum est.

III. Vaticinium Jes. 7, 14 non minus minax quam faustum fuit.

IV. Christus, cf. Matth. 13, 10 ss., parabolis non usus est, ut caecitatem Judaeorum augeret, sed modum instituendi ad eam accomodavit.

V. Doctrina de Scriptura Sa. fundamentum, non pars systematis dogmatici est.

VI. Scripturam Sacram revelatam esse, ex ea ipsa, non ex conscientia ecclesiae probandum est.

VII. Revelationis Scr. Sae. gradus distinguendi sunt.

VIII. Libri subditicii inspiratione et auctoritate divina carent.

IX. Etiam munus ecclesiae immediate a Christo institutum est.

3 0112 126252979

Index.

Exordium . . . . . p. 2
De historia argumenti huius . . . . . „ 8
De natura „ „ . . . . . „ 16
De vi „ „ . . . . . „ 30
Additamenta . . . . . „ 58
De abbreviaturis vide . . . . . „ 3 notam 1.

Librorum citatorum tituli pleni ibi leguntur, ubi primum citantur.